This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

St 1.849

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.

DE

TACITO PLUTARCHI AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS LANGE

SAXO-ALTENBURGENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXX.

[illegible] 1.849

JUN 24 1884
Sever's fund.

Satis notum est Tacitum, cui priore tempore magnam omnes habebant fidem cujusque nomen summa verecundia nominare solebant, gravissime et nuper accusatum esse et adhuc accusari. In Tiberii enim moribus describendis injustum atque invidiosum se praebuisse illiusque imaginem plane perversam depinxisse haud pauci eum arguunt. Et historias quoque, ut cetera ejus opera omittam, multi viri docti [1]) aggrediuntur. Ab illis enim negatur fecisse Tacitum, quod ann. I. 1 promittit sine ira et studio se scripturum, ab his tantam diligentiam et curam eum adhibuisse, quanta usus esse antehac ab omnibus putabatur; illi calumniatorem eum nominare non verentur, hi magni rerum scriptoris, qui neminem imitans suum ipsius sequitur ingenium, gloriam ei detrahere conantur. Atque hic impetus melius illo videtur succedere, cum pauci eum a Tacito propulsare ausi sint et hi quoque frustra laborem

---

[1]) C. Hirzel ,,comparatio eorum, quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum, Suetonium, Dionem Cassium instituta cum ad illorum scriptorum indolem, tum ad fontium, ex quibus hauserint, rationem pernoscendam''. Stuttgartiae 1851. — Th. Wiedemann ,,de Tacito, Suetonio, Plutarcho, Cassio Dione, scriptoribus imperatorum Galbae et Othonis''. Berolini 1857. — Ad. Schmidt ,,de quibusdam auctoribus Romanis, quos in describendis rebus annorum 68 et 69 p. Chr. n. gestis Tacitus, Plutarchus, Suetonius secuti sunt aut secuti esse videntur vel dicuntur''. Jenae 1860. — H. Peter ,,Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer''. Halle 1865. pp. 28—44. — Th. Mommsen ,,Corn. Tacitus und Cluvius Rufus''. Hermes Vol. IV 1870. — H. Nissen ,,Die Historien des Plinius''. Rheinisches Museum Vol. XXVI 1871.

videantur suscepisse. Mihi vero, quamquam haud ignoro summae esse audaciae viris doctissimis et clarissimis obloqui, tamen tantum videtur abesse, ut caussa, de qua agitur, recte dijudicata sit, ut mihi proposuerim hunc impetum in Tacitum factum, si fieri posset, reprimere et demonstrare perverse magni scriptoris gloriam ei detrahi. Quod duo ante me fecerunt: Octavius Clason [2]) et C. Nipperdey [3]) [4]). Cum vero Clason, quamquam haud pauca affert ad confirmandam suam opinionem, tamen non talibus argumentis eam defendat, ut omnem removeat dubitationem, cumque Nipperdey brevi tantum annotatione in hanc rem inquirat, operae pretium videtur esse eandem denuo sententiam defendere. Nam etsi minime me facere posse existimo, ut opus ab illis, quos modo laudavi, inceptum ad finem perducam, tamen me paullo longius, si iis quoque utar, quae illi jam attulerunt, progressurum spero. —

Agitur enim de Taciti historiarum libris I et II (cc. 1—50) et Plutarchi vitis Galbae et Othonis inter se comparatis. Quos inter libros tanta invenitur similitudo, ut qui vel obiter eos legit, statim intellegat solo casu eam existere non potuisse. Quoniam autem et longum et inutile videtur omnes illos locos afferre, quibus Tacitus et Plutarchus vel similia vel prorsus congruentia exhibent [5]), nonnulla tantum exempla proferre in animo est. Atque primum idonei videntur, quos inter se comparem, loci Tac. hist. I 24 „ut — quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret“ et Plut. Galb. 20 „Ὁσάκις δὲ τὸν Γάλβαν,

---

[2]) „Plutarch und Tacitus.“ Eine Quellenuntersuchung. Berlin 1870. „Tacitus und Sueton“. Breslau 1870.

[3]) in annalium editionis scholarum prolegomenis p. 28 ann. 1. (semper citabo editionem VII 1879).

[4]) Quos A. Baumstark „Urdeutsche Staatsalterthümer zur schützenden Erläuterung der Germania des Tacitus“. Berlin 1873. pp. 105—121 ita sequitur, ut ipsa eorum verba repetat, novi nihil addat.

[5]) Collecti sunt cum ab aliis, tum a Clasono „Plutarch und Tacitus“. Appendix I pp. 23—69; loci ad verbum congruentes inveniuntur ibid. pp. 16—21.

εἱστία, τὴν παραφυλάττουσαν ἀεί σπεῖραν ἐδέκαζε χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων"; tum Tac. hist. I 62 „— nomine Germanici Vitellio statim addito: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit" et Plut. Galb. 22 „ὑπακοῦσαι Γερμανικὸν ὄνομα θεμένων αὐτῷ" (sc. τῷ Οὐϊτελλίῳ), „τὸ δὲ Καίσαρος οὐ προςδεξάμενον". Ac non solum in referendis singulis rebus tantopere scriptores congruunt, verum etiam in judicanda natura et indole eorum, de quibus loquuntur (cf. Tac. hist. I 49 et Plut. Galb. 29), in afferendis caussis, quibus hic et ille permovetur (v. c. iis, quibus Otho ad seditionem adducitur (Tac. hist. I 21—23 et Plut. G. 23), in expingendis rebus (cf. Tac. hist. I 39 sq. — Plut. G. 26), in fontibus afferendis (cf. Tac. hist. I 41 — Plut. G. 27; Tac. hist. II 37 sq. — Plut. Oth. 9[6]). Atque altero loco inprimis memoria digno agitur de narratione illa a nonnullis auctoribus repetita, paullo ante pugnam Bedriacensem inter Othonem et Vitellium commissam ambos exercitus id egisse, ut certamine omisso novum imperatorem aut ipsi eligerent aut senatui eligendum committerent. Quam narrationem Tacitus his verbis incipit: «invenio apud quosdam auctores« et Plutarchus his: „ἑτέρων δὲ ἦν ἀκούειν, ὅτι —". Sequitur autem apud ambos eadem contemplatio (Tac.: »ego ut concesserim" e. q. s. — Plut.: „καὶ οὐκ ἀπεικός ἐστι" e. q. s). Tum vero Tacitus hist. II 38 de pristinorum temporum bellis civilibus disputans nomina Marii, Sullae, Pompei affert et Plutarchus l. l., quamquam multo minoribus verbis utitur, tamen eosdem viros commemorat solo Caesaris nomine addito, quod facillime ex sua scientia adjicere potuit. — Denique in ipso quoque narrationis tenore Tacitus et Plutarchus congruunt, quamquam interdum hanc ob rem satis quoque differunt, quod alter alterum sibi proposuit: Tacito enim historiam Romanam memoriae prodere, Plutarcho vitas Galbae et Othonis conscribere in animo est. Quam ob rem Plutarchus multa, quae Tacitus refert, si minus ad Galbae et

---

[6]) cf. Clason »Plutarch und Tacitus« pp. 13 sq.

Othonis, quam anni 69 res enarrandas pertinent (v. c. multa ex iis, quae Tac. hist. I—11 II 1—17 reperiuntur) silentio praetermittit, et contra ipsi, quippe qui non, ut Tacitus annales scripturus, Galbae res ab initio anni 69 demum, sed totam illius vitam totumque imperium perscribere sibi proposuisset, multa erant tradenda (Plut. G. 1—18), quae apud Tacitum non exstant. Tamen apud hunc quoque haud pauca etiam de prioribus Galbae annis inveniuntur [7]). Sed etiam omissis his ac talibus locis, quibus, cur alter plura altero afferat, per se intellegitur, modo Plutarchus longius atque accuratius, ut videtur, res refert Tacito, modo Tacitus Plutarcho, neque raro inter se aut aliquanto differunt aut prorsus repugnant. Et quoniam longum est omnes locos huc pertinentes afferre, paucos commemorabimus. Primum enim ex iis locis, quibus alter alterum diligentia videtur superare, proferam locos Tac. hist. II 34 sq. et Plut. O. 10, ubi ex parte Tacitus uberius Plutarcho, ex parte Plutarchus uberius Tacito res enarrat. Nam in referendo Padi transitu a Vitellianis simulato *Tacitus* solus pontem navibus effectam accuratius describit, *Plutarchus* solus tradit Othonianos, cum intellexissent se frustra tela in hostes emittere, pontem illum taedis incendisse. Et ut alterum proponam exemplum, oratio ea, quam Plutarchus G. 22 militem quendam habentem facit, apud Tacitum hist. I 55 non reperitur. Jam ex iis quoque locis, quibus alter scriptor alteri obloquitur [8]), duos afferemus. Tacitus enim hist. I 14 dicit »*pauca* praefatus« — Plutarchus G. 23 μηδὲν προειπών; Tacitus hist. II 49 »alterum (sc. pugionem) *capiti* subdidit» — Plutarchus O. 17 „θάτερον (sc. ξίφος) δὲ εἰς τὰς ἀγκάλας ἀναλαβών". Restat, ut ad similitudinem inter Plutarchum et Tacitum intercedentem etiam accuratius explicandam commemoremus non raro ea, quae apud alterum scriptorem uno loco compre-

---

[7]) cf. Mommsen »Cornelius Tacitus und Cluvius Rufus.« Hermes IV pp. 299—301. — Clason »Plutarch und Tacitus« pp. 23—27.

[8]) cf. Peter »Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer« pp. 38—40.

hensa atque conjuncta sunt, apud alterum compluribus locis dissipata reperiri. Quam in rem si quis diligentius inquisiverit, intelleget plures exstare locos, quibus ea, quae apud Tacitum dissipata sunt, Plutarchus conjunxit, quam quibus contrarium accidat[9]). Velut ex iis, quae Plutarchus G. 18 in. tradit, verba „Καθάπερ ἄλλοι γεγονότες“ apud Tacitum hist. I 45 ita inveniuntur »alium crederes senatum, alium populum«, antecedentia vero Plutarchi verba „εὐθὺς δὲ βουλὴ συνεκαλεῖτο“ et sequentia „καὶ Καίσαρα καὶ Σεβαστὸν ἀνηγόρευον“ e. q. s. apud Tacitum hist. I 47 in. ita exstant »vocat senatum praetor urbanus — decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti« e. q. s. Quae autem Tacitus refert hist. II 24 (Caecina) »propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam cupidius, quam consultius properabat« et hist. II 30 »(prope renovata seditio,) tamquam fraude et cunctatione Valentis proelio defuissent«, uno loco comprehensa reperiuntur apud Plutarchum O. 6 extr. (Φάβιος Οὐάλης) „ἐδόκει διὰ τοῦτο βραδέως ὁδεύων ὑστερῆσαι τῆς προτέρας μάχης. Οἱ δὲ τὸν Κεκίναν αἰτιῶνται σπεύδοντα τὴν νίκην ἑαυτοῦ γενέσθαι, πρὶν ἐκεῖνον ἐλθεῖν, ἄλλοις τε μικροτέροις περιπεσεῖν ἁμαρτήμασι καὶ μάχην οὐ κατὰ καιρὸν οὐδὲ γενναίως συνάψαι μικροῦ πάντα τὰ πράγματα διαφθείρασαν αὐτοῖς“. Contra, quae conjuncta Tacitus hist. I 72 de odio ac morte Tigellini tradit, apud Plutarchum dispersa invenimus G. 17 in. et extr. et O. 2. — Jam vero finem faciamus in consideranda consensus inter Tacitum et Plutarchum ratione, nam in iis quoque disputationibus, quas supra laudavi, satis multa de hac re dicta sunt[10]), quae repetere longum est.

Quibus rebus expositis quaerendum videtur, quo tempore Taciti historiarum libri I et II et Plutarchi vitae Galbae et

---

[9]) Loci huc spectantes inter illos reperiuntur, quos Clason pp. 7—11 collegit.

[10]) cf. ante omnia, quae Th. Wiedemann »de Tacito, Suetonio, Plutarcho, Cassio Dione, scriptoribus imperatorum Galbae et Othonis« pp. 6—10 disserit.

Othonis conscripta sint. Atque inter omnes constat Tacitum sub Trajani imperio historias composuisse. Et quoniam non minus certe scimus eas ante annales, quos vocant, circa annum 116 editos[11]) a Tacito scriptas esse, dubitari non potest, quin inter annos 98 et 115 historiae compositae sint. Cum vero duas notissimas illas Plinii epistolas (VI 16 et 20), quas Tacito amico eo consilio scripsit, ut huic ad enarrandas anni 79 res praeberet materiam, jam circa annum 106, aliam illam epistolam (VII 33), qua ad describendum extremum Domitiani tempus Tacitus uteretur, jam circa annum 107 publicatas esse sciamus[12]), colligere licet anno 106 eam historiarum partem, quam nobis fortuna reliquit, jam confectam fuisse. Quod vero Mommsen[13]) inde, quod in quatuor prioribus epistolarum Plinii libris usque ad annum 105 scriptis[14]) Tacitus laudatur ut orator tantum, nusquam ut historiarum scriptor, colligit eum ante annum 105 historias aut partem earum non modo non edidisse, sed ne cum amicis quidem communicasse, non recte facere videtur. Neque enim quidquam ex mea quidem sententia impedit, quominus casu hoc factum esse putemus. Neque rectius Hirzel[15]) Tacitum non ante annum 102 historias conscribere coepisse inde concludendum esse censet, quod ante hunc annum, quo Trajanus triumphum egisset de Dacia, dicere non potuerit (hist. I 1) »principatum divi Nervae et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui.« Mihi enim Tacitus verbo »uberiorem« usus minus ad res bello gestas videtur spectare — addit enim alterum illud »securiorem« — quam ad felicitatem et prosperitatem rei

---

[11]) cf. Nipperdey l. l. pp. 15 sq.

[12]) cf. Th. Mommsen »Zur Lebensgeschichte des jüngeren Plinius.« Hermes III pp. 49 sqq.

[13]) l. l. p. 107.

[14]) cf. Mommsen l. l. pp. 43 sqq.

[15]) »comparatio eorum, quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum, Suetonium, Dionem Cassium etc.« p. 40.

publicae, quae post atrox Domitiani imperium jam sub Nerva coeperat, quamque sub Trajano perduraturam jam initio ejus imperii si non certe scire, attamen sperare poterat. — Alia jam oritur quaestio, utrum Tacitus historias tum demum ediderit, cum ad finem eas perduxisset, an priores partes jam antea publicaverit. Quod Mommsen [16] nuper contendit neque potest negari hanc sententiam eam potissimum ob rem verisimilem videri, quod saepe illius temporis scriptores opera sua non tota, sed per partes publicaverunt[17]. Quod si Tacitum quoque fecisse putamus, verisimillimum est jam primis saeculi secundi annis priorem historiarum partem eum divulgasse.

Et quoniam, quo tempore Taciti historiarum primi libri editi esse viderentur, jam satis demonstratum est, nunc videamus de Plutarchi vitis Galbae et Othonis. Quae quando compositae sint, accuratius nullo modo dicere possumus. Hoc unum enim pro certo affirmare licet Plutarchum Sullae vitam haud ita multo ante annum 115 scripsisse, quod colligendum est ex Plut. Sull. 21 „σχεδὸν ἐτῶν διακοσίων ἀπὸ τῆς μάχης ἐκείνης (significat pugnam apud Orchomenum a. 85 a. Chr. n. commissam) διαγεγονότων“. Unde, quoniam dubitari non potest, quin Plutarchus non eodem ordine, quo vixerunt, clarorum virorum vitas composuerit, nihil de Galbae et Othonis vitis efficitur. Quae cum ita sint, mirum non est doctorum virorum sententias valde inter se differre. Nam Wiedemann [18] et Mommsen [19], quem Nissen [20] sequitur, Plutarchum has vitas jam sub Domitiani imperio, Clason [21] tempore multo posteriore scripsisse suspicatur, pro certo affirmare non audet.

---

[16]) l. l. p. 106; cf. quoque Nissen »Die Historien des Plinius« Rhein. Museum XXVI pp. 535 sq.

[17]) cf. Mommsen l. l. p. 32.

[18]) l. l. p. 45.

[19]) »Cornelius Tacitus und Cluvius Rufus«. Hermes VI pp. 297 sq.

[20]) l. l. p. 503.

[21]) l. l. pp. 21 sq.

Atque infirmissima sunt argumenta, quibus Wiedemann et Mommsen ad defendendam sententiam suam utuntur. Mommsen enim Lampriae testimonium non satis, ut ipse concedit, firmum affert, ut primum demonstret Vitellii vitam ultimam fuisse vitarum imperatorum Romanorum a Plutarcho conscriptarum; unde deinceps — id quod incertissimum esset, etiamsi Lampriae testimonio summa habenda fides esset — concludit hanc ob rem Plutarchum post Vitellii vitam compositam a conscribendis imperatorum Romanorum vitis destitisse, quod, cum ad Flaviorum vitas componendas transeundum ei esset, Flavius Domitianus jam imperaret. Tum Mommsen [22]) ad confirmandam suam opinionem hanc caussam affert, quod ii vitarum Galbae et Othonis loci, quibus Verginii Rufi Plutarchus mentionem faciat (praecipue G. 10), ita se habeant, ut de sene superstite (Verginium Rufum mortuum esse anno 97 notissimum est) dici videatur. At ex mea sententia nihil impedit, quominus ad virum jam mortuum hos locos referamus. Postremum vero Mommsen et Nissen, qui eum sequitur, hac quoque a re argumentum petunt (eandemque caussam jam Wiedemann l. l. solam affert), quod Galbae et Othonis vitae ita scriptae sint, ut tironis videantur esse. Quod argumentum nullius videtur momenti esse. Ea enim, quibus illae vitae a ceteris differunt, quaeque Mommsen, Nissen, Wiedemann ad probandam sententiam suam proferunt, inde mihi videntur proficisci, quod Plutarchus in his vitis componendis opus plane historicum, non, ut in ceteris [23]), eum adhibuit (neque adhibere, ut videtur, potuit) fontem, qui ad vitarum describendarum similitudinem vel ipse accedebat. Contra ex hac ipsa re, quod ad Galbae et Othonis vitas componendas tali libro Plutarchus usus est, colligi posse videtur, eum has vitas non tironem scripsisse; neque enim verisimile est in vitis componendis initium eum ab iis cepisse, in quibus fontes a sua scribendi ratione valde

[22]) l. l. ann. 2.

[23]) cf. Peter, l. l. p. 1.

abhorrentes ei adhibendi essent. Sed ne hoc quidem, etsi non minoris videtur momenti esse, quam quae a Mommsenio ceterisque ad contrariam opinionem defendendam proferuntur, satis firmum esse libere concedo. — Longe autem aliam, quam Mommsen ceterique, sententiam professus est Clason, qui (l. l.) Plutarchum Galbae et Othonis vitas post annum 110 conscripsisse suspicatur nullo argumento ex ipsa re petito, sed Hirzelio solo auctore nisus, cujus verba non recte videtur intellexisse. Hirzel enim nihil aliud contendit, quam ante annum 115 has vitas compositas esse. — Cum vero nullum omnino exstet Plutarchi opus, quod ante Domitiani mortem compositum esse demonstrari potest, cumque Graecorum popularium vitas cum Romanorum vitis comparandas ei prius se obtulisse existimem, quam imperatorum Romanorum, — quo accedit illa quoque caussa modo (p. 10) allata — verisimile mihi videtur Plutarchum aliquanto post Tacitum Galbae et Othonis vitas composuisse. Quod ea quoque re probari, quod ipsum Tacitum Plutarchus accuratissime secutus videatur esse, postea conabimur demonstrare. —

Jam vero, priusquam ad consensum inter Tacitum et Plutarchum explicandum transeamus, ea pronuntiare in animo est, de quibus ex mea quidem sententia nemo, qui hanc in rem accuratius inquisiverit, dubitare poterit, ut in certis fundamentis aedificium nostrum exstruere possimus. — Primum enim pro certo licet affirmare Plutarchum in vitis Galbae et Othonis componendis — exceptis 18 prioribus Galbae capitibus — unum tantum, si ad summam spectamus, fontem adhibuisse (nam interdum aliunde quoque materiam eum hausisse postea exponemus). Quod ex ipsa ea re sine ulla dubitatione colligi potest, quod, ut supra diximus, tam accurate tamque saepe cum Tacito congruit. Quem consensum, si Plutarchus compluribus pariter fontibus usus esset, exstare non posse facile quisque concedet; nullo enim alio modo, si hoc verum esset, summa illa similitudo poterat explicari, quam ita, ut

putaremus aut Tacitum mirabili casu saepissime iisdem locis eosdem fontes, ac Plutarchum, adhibuisse — quod nemo, arbitror, existimabit — aut Tacitum in condendis historiis ipsum Plutarchum secutum esse. Quod quoniam nemo, quantum scio, unquam contendit, non opus est, multa de hac re dicere. Nam per se intellegitur Tacitum, ut erat Romanus Romanarumque rerum scriptor, nulla re adduci potuisse, ut in patriae historia conscribenda eum Graecum scriptorem sequeretur et ad verbum saepe verteret, qui vitas tantum nonnullorum virorum describere sibi proposuisset, praesertim cum multi Romani jam ante eum de Galbae et Othonis tempore egissent [24]), ut Cluvius Rufus et Plinius major natu, de quibus postea accuratius disseremus. Quid vero opus est diutius de ea re dicere, de qua omnes consentiunt neque ulla relinquitur dubitatio? — Neque minus certum est Plutarchum auctorem praecipuum suum saepe accuratissime ita secutum esse, ut etiam illos locos, quibus hic ad complures auctores provocavit, ab eo reciperet, quod vel ipsa cum Taciti historiis comparatione prorsus demonstratur (cf. locos supra jam laudatos Tac hist. I 41 — Plut. G. 27; Tac. hist. II 37 — Plut. O. 9). Nec vero illud modo pro certo licet affirmare Plutarchum unum fontem accuratissime secutum esse, sed id quoque satis apparet hunc unum ejus fontem fuisse librum a Romano aliquo Latina lingua conscriptum. Nam cum, ut modo diximus, Tacitum secutum esse Plutarchum nequaquam putandum sit, consensus inter eos aliter explicari non potest, quam ut Plutarchum aut ipsius Taciti historiis aut eodem atque illum fonte in vitis illis componendis usum esse putemus; qui autem priorem illam amplectuntur sententiam, cum eam proferunt, concedunt Romano scriptore quique Latine scripserat — ipso Tacito — Plutarchum usum esse; iis vero, qui alteram pro-

[24]) cf. Josephus bell. Jud. IV. 9. 2. „πάντα ταῦτα (significat bella civilia annis 68 et 69 gesta) διεξιέναι μὲν ἐπ' ἀκριβὲς παρῃτησάμην, ἐπειδὴ δι' ὄχλου πᾶσίν ἐστι καὶ πολλοῖς Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων ἀναγέγραπται."

fitentur opinionem, ipsis quoque, quia Tacitus, ut supra diximus, sine dubio Romano usus est fonte, Plutarchum idem fecisse confitendum est. Et Latino quoque sermone compositum fuisse Plutarchi fontem ne ii quidem negant, qui Taciti historiis eum non usum esse contendunt. Neque enim ulla reperiri potest caussa, cur putemus vel unum ex iis scriptoribus Romanis, qui tum Galbae et Othonis tempus tractandum sibi sumpserant, Graeca usum esse lingua. Accedit, quod ex nonnullis quoque erroribus Plutarchi [25]), de quibus postea disseremus, colligere licet Latina lingua fontem ejus scriptum fuisse.

Jam eo pervenisse nobis videmur, ut ad ipsam caussam, quam tractandam nobis proposuimus, transire possemus. Quaeritur enim, quo modo consensus ille inter Plutarchum et Tacitum, de quo multa jam diximus, explicandus sit. Cujus consensus duae, ut jam supra demonstravimus, cogitari possunt caussae. Nam aut Plutarchus Tacitum secutus est aut ambo eundem fontem primarium adhibuerunt. Tertium non datur. Nam perversam esse eam opinionem, quam nuper W. Dieckmann [26]) protulit, nemo, arbitror, non concedet. Dicit enim, cum recte, si quid video, intellegat Tacitum non eum esse, qui alium scriptorem accuratissime ad verbum saepe sequatur, neque vero audeat Plutarchum eo usum esse contendere, inde mirum illum inter Tacitum et Plutarchum consensum exordium ducere, quod ita eundem secuti sint fontem, ut Plutarchus primarium, Tacitus secundarium eum adhiberet [27]). Qua de sententia, quoniam perversam eam esse vel inde apparet, quod tam saepe tamque accurate ambo congruunt, opus non videtur plura dicere. —

[25]) cf. Nissen l. l. pp. 503 sq.

[26]) »Num de ratione, quae inter Tac. et Plin. historias intercedat, recte Nissenius judicaverit, quaeritur tractunturque eandem quaestionem spectantes duo oci, qui sunt in Taciti historiarum libro altero.« Diss. inaug. Rostock. Hannover (sine anno!).

[27]) cf. l. l. p. 9 »fuit secundarius Tacito fons, quem praecipuum Plutarchus habuerat.«

Quamquam autem longe plurimi, ut jam dixi, virorum doctorum, qui huic rei disceptandae operam dederunt, pro certo affirmant communem fuisse Tacito et Plutarcho fontem, tamen mihi non possum persuadere recte eos judicare, sed, ut jam libere profitear meam sententiam, non dubito contendere Plutarchum Taciti historiarum duos primos libros adhibuisse fontem. Quod satis firmis argumentis me probare posse spero.

Ac primum quidem ipso illo tanto inter ambos scriptores consensu quodammodo ad hanc sententiam perducimur [28]). Per se enim apparet multo facilius illum explicari posse, si eam amplectimur; quod si facimus, iis locis, quibus ad verbum ambo congruunt, Plutarchus tantum ipsa fontis verba excepisse putandus est; si illam sequimur opinionem, ambo, hoc fecisse existimandi sunt. Ac simile judicandum est de tot iis locis, quibus, si minus verbis, tamen re ambo accurate consentiunt. Accedit, quod iis, qui communem ambobus fuisse fontem arbitrantur, illud quoque sumendum est hujus fontis scriptorem neque longius aut accuratius neque brevius res solitum esse enarrare, quam Tacitus non modo in priore historiarum parte, sed in omnibus et historiarum et annalium libris hoc faceret. Nam duobus illis libris eadem, atque aliis, ratione Tacitus res tradit; si vero communis illius fontis scriptor aut brevius, quam ille, aut longius res enarrasset, ita ut Tacitus multa, ne a ratione sua scribendi deflecteret, adjicere illi aut detrahere cogeretur, non poterat explicari, quomodo factum esset, ut Plutarchus, qui — si ad summam spectamus — neque longius neque brevius Tacito res tradit, tam saepe eadem aut adderet aut detraheret. — At sunt caussae, quibus plane demonstretur, Plutarchum non usum esse Tacito. — Diligentius igitur in eas inquiramus, ut demonstremus nullius esse momenti.

---

[28]) Quod jam Clason contendit. Dicit enim l. l. p. 20 : »Aus dieser Fülle von sachlich und wörtlich übereinstimmenden Stellen wird Jeder den Schluss auf eine möglichst nahe Verwandtschaft zwischen den beiden Autoren ziehen müssen«.

Ac maximum, si quid video, argumentum, qui illam amplexi sunt opinionem, inde petunt [29]), quod Plutarchus, ut ait Wiedemann, »easdem res quas ceteri« (dicit Tacitum et Suetonium) »saepe accuratius et uberius enarrat« et quod nonnulla tradit, quae Tacitus silentio praeterit quaeque, ut dicit Mommsen, »doch mit der dem Plutarch und dem Tacitus gemeinschaftlichen Erzählung so eng verwachsen sind, dass Jedem, der in solchen Untersuchungen Takt und Uebung hat, der Gedanke an eine Einlegung derselben aus einer zweiten Quelle von vorn herein als unzulässig erscheinen muss«. Quo argumento id, quod illi volunt, nullo modo probari contendo. Primum enim in hac re consideranda neglegenda sunt — id quod jam supra diximus — Plutarchi Galbae capp. 1—18, ad quae conscribenda alio ac Taciti historiis fonte Plutarchum usum esse per se intellegitur [30]), quamquam in his quoque non pauca inveniuntur, quae ab ipso Tacito petita esse videntur.

Tum vero nonnullis locis, quibus Plutarchus res a Tacito praetermissas tradit, ipse, quo ex fonte eas hauserit, ita dicit, ut satis appareat eum, quem laudat, fontem non esse praecipuum. Quod ut melius intellegatur, omnes locos huc pertinentes afferam. Primum enim Plutarchus O. 3 haec dicit: „Κλούβιος [31]) δὲ Ροῦφος [32]) εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα, οἷς ἐκπέμπουσι τοὺς γραμματηφόρους, τὸ τοῦ Νέρωνος θετὸν ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος“. Contra Tacitus hist. I 78 haec tradit: »ipse« (Otho) »in suspenso tenuit« (sc. acciperet nomen Neronis, necne) «vetandi metu vel agno-

[29]) Hirzel l. l. pp. 39 sq.; Wiedemann l. l. p. 45; Peter l. l. pp. 37 sqq.; Mommsen »Corn. Tacitus und Cluv. Rufus«, Hermes IV p. 315 (cf. pp. 306—312).

[30]) Annalium ultimo libro eum usum esse vel hanc ob rem verisimile non est, quod, cum Galbae et Othonis vitas scriberet, annales nondum editi fuisse videntur.

[31]) Ita legendum esse pro „Κλαύδιος“, quod traditum est, nemo jam negat.

[32]) Hunc solum scriptorem et hoc quidem solo loco Plutarchus nominatim testem affert.

scendi pudore». Quibus verbis satis demonstratur Tacitum hoc loco Cluvio Rufo non usum esse. Hic enim, ut ex Plutarchi loco laudato patet, Othonem etiam in litteris publicis Neroni nomen sibi indidisse retulerat, quod si Tacitus in Cluvii libro legisset, scribere neque potuit »in suspenso tenuit«, neque „agnoscendi pudore“[33]). Quamobrem iis, qui communem fuisse Tacito et Plutarcho fontem putant, concedendum est hoc loco aut hunc aut illum alio atque solito fonte usum esse. Et cum apud Tacitum nihil inveniatur, unde hoc colligatur, Plutarchus contra praeter consuetudinem auctorem nominet („Κλούβιος δὲ Ῥοῦφος — φησί“), illi facere non poterunt, quin hoc loco Plutarchum communem illum fontem neglexisse, alium secutum esse concedant. Quae opinio etiam firmatur illa Plutarchi consuetudine, ex qua eum ipsum scriptorem, quo potissimum uti solet, raro laudat[34]); ea vero, quae Peter (l. l. p. 41) affert, ut explicet, quomodo factum sit, ut Plutarchus hoc loco a consuetudine illa recederet, nullius videntur momenti esse[35]). Neque minus errare Nissenium, cum (l. l. p. 508) contendat Plutarchum verba illa non ab ipso Cluvio petivisse, sed ab hoc jam petita in fonte suo, quo Tacitum quoque usum esse existimat, invenisse et inde recepisse, ex ipso inter Tacitum et Plutarchum dissensu colligendum est, praesertim cum argumentum illud, quo Nissen hanc sententiam probare conatur, nullam vim videatur habere. Dicit enim (pp. 507 sq): »Die Nennung des Cluvius kann nun absolut keinen anderen Sinn haben, als dass der Schriftsteller an der Richtigkeit der Nachricht zweifelt und sie daher nicht unter eigenem, sondern

---

[33]) Apparet vel ex iis, quae attuli, vehementer errare Wiedemannum, cum p. 45 dicat »Ita fit, ut Plutarchus O. 3 Cluvium Rufum — eorum, quae Suetonius et Tacitus pariter referunt, peculiares testes producat«.

[34]) cf. H. Sauppe »Die Quellen Plutarchs für das Leben des Pericles« p. 31.

[35]) Nam si Plutarchus, ut Peter existimat, Cluvium hoc loco propterea laudasset, quod hic, cum Hispaniae praefuisset, illius, quam tradit, narrationis certissimus auctor erat, sine dubio id ipsum, quod ille praefectus fuerat, addidisset.

unter fremdem Namen beibringt« ; et quia Suetonius (Otho 7) idem his verbis refert: »immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistolis suis ad quosdam provinciarum praesides Neronis cognomen adjecit«, pergit: »Aber damit nicht genug, wird Sueton O. 7 von denselben Zweifeln heimgesucht«. Tacitum vero hanc eandem rem, quam ipse quoque in fonte invenisset, quod eam non veram putasset, silentio praeterisse. Quae mihi hac ipsa de caussa improbanda videntur, quod ea opinio, qua tota haec Nissenii argumentatio nititur, si quid video, falsa est. Nullam enim invenio caussam, cur rectum esse putem, quod Nissen contendit: »Die Nennung des Cluvius kann nun absolut keinen anderen Sinn haben, als dafs der Schriftfteller an der Richtigkeit der Nachricht zweifelt.« Nam mihi, ut jam dixi, Plutarchus Cluvii nomen hanc solam ob rem videtur attulisse, quod alium atque solitum fontem hic adhibuit. Ceterum eum Cluvium Rufum hoc loco secutum esse eo minus mirum est, quod eundem alio quoque loco (Quaest. Rom. 107) auctorem laudat. Neque magis inde, quod eandem rem, cujus testem Plutarchus Cluvium Rufum affert, Suetonius quoque tradit praemissis verbis »ut quidam tradiderunt«, colligi potest et eum et Plutarchum in communi aliquo fonte hanc narrationem a Cluvio petitam invenisse; nihil enim videtur impedire, quominus existimemus aut Suetonium hoc loco Plutarchum secutum esse aut utrumque ex Cluvii opere illud hausisse. Etiamsi vero sumamus Plutarchum non ipsum Cluvium hoc loco adhibuisse, maneat tamen illud, quod comparatis inter se Plutarchi et Taciti verbis efficitur: alium illum hoc loco atque solitum secutum esse fontem. — Veniamus ad alium locum, O. 9. Ubi Plutarchus, postquam retulit complures allatas esse caussas, cur in consilio ab Othonianis habito sententia eorum vicisset, qui pugnam differri noluissent, ita pergit: „Δοκεῖ δὲ μηδὲ αὐτὸς Ὄθων ἐξαναφέρειν ἔτι πρὸς τὴν ἀδηλότητα μηδὲ ὑπομένειν ἀηθείᾳ καὶ μαλακότητι τοὺς περὶ τῶν

δεινῶν λογισμούς, ἐκπονούμενος δὲ ταῖς φροντίσι σπεύδειν ἐγκαλυψάμενος, ὥσπερ ἀπὸ κρημνοῦ, μεθεῖναι τὰ πράγματα πρὸς τὸ συντυχόν. Καὶ τοῦτο μὲν διηγεῖτο Σεκοῦνδος ὁ ῥήτωρ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν γενόμενος τοῦ Ὄθωνος." Quibus verbis Plutarchus significare mihi videtur Secundum ipsum sibi illud narrasse, neque intellego, quo jure Nissen (l. l. p. 507) dicat: »Es ist wichtig, festzustellen, dass es sich hier nicht um eine schriftliche Darstellung, sondern um mündliche Mittheilung handelt« (quod per se apparet). »An Plutarch kann dieselbe nicht gerichtet gewesen sein, weil er solches anzumerken nicht unterlaſſen haben würde (vgl. 14,1 „οὕτω μὲν οἱ πλεῖστοι — ἐμοὶ δ' ὕστερον ὁδεύοντι διὰ τοῦ πεδίου Μέστριος Φλῶρος ἀνὴρ ὑπατικὸς — διηγεῖτο"). Quam ob rem Nissen contendit Plutarchum hanc narrationem non ab ipso Secundo, sed ab auctore suo recepisse. Mihi autem argumentum illud, quo sententiam suam probare conatur, satis firmum nequaquam videtur esse. Spectat enim solum ad „ἐμοὶ" ante „διηγεῖτο" omissum, quod ex mea sententia Plutarcho non opus erat addere, ut significaret sibi ipsi Secundum illa narrasse. Atque iis quoque, qui communem fuisse Tacito et Plutarcho fontem credunt, meam sententiam amplectendam esse vel hanc ob caussam arbitror, quod Tacitus (hist. II 33) hanc totam rem, de qua loquimur, silentio praetermittit, ut verisimile sit eum hanc Secundi narrationem in fonte suo non reperisse. Errant enim et Peter, cum (l. l. p. 42) dicit: «Findet ſich doch ſelbſt jener Bericht über die innere Unruhe des Otho vor der Schlacht bei Bedriacum, den Plutarch O. 9 nach dem Rhetor Secundus gibt, auch bei Tacitus II 33 und 40 (»Otho pronus ad decertandum« et »quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti jubebat aeger mora et spei impatiens«) und Suet. O. 9 (»quam primum tamen decertare statuit, sive impatiens longioris sollicitudinis et q. s.«), so dass also offenbar auch diese Stelle bei Plutarch sammt der Anführung des Secundus aus Cluvius Rufus entnommen ist« et Mommsen, qui (l. l. p. 321) eandem

profitetur sententiam. Quae enim Tacitus hist. II 33 dicit »Otho pronus ad decertandum«, eadem mihi videntur esse atque haec Plutarchi verba (O. 8 extr.): „Οὐ μὴν ἐπείθετο“ (sc. Ὄθων) „τούτοις“ (sc. iis, qui pugnam differendam esse censebant), „ἀλλὰ ἐκράτησαν οἱ πρὸς τὴν μάχην παρορμῶντες“; et ea, quae Tacitus hist. II 40 refert: »aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti jubebat aeger mora atque spei impatiens«, inveniuntur apud Plutarchum O. 11 „ἦλθε παρ' Ὄθωνος ἱππεὺς τῶν καλουμένων Νομάδων γράμματα κομίζων κελεύοντα μὴ μένειν μηδὲ διατρίβειν, ἀλλ' ἄγειν εὐθὺς ἐπὶ τοὺς πολεμίους.“ Ea autem, quae Suetonius O. 9 tradit »quam primum tamen« (Otho) »decertare statuit, sive impatiens longioris sollicitudinis« e. q. s., fortasse ex ipsis Taciti locis modo commemoratis exordium ducunt, quamquam illud quoque putari potest Plutarcho Suetonium usum esse. — Quibus expositis, quoniam ii Taciti historiarum loci, quibus Peter et Mommsen illa contineri putant, quae Plutarchus Secundum secutus profert, non his, sed aliis Plutarchi locis accuratissime respondent, dubitari ex mea quidem sententia non jam potest, quin ex ipso Secundo Plutarchus illa compererit. Atque etiam ei, qui hoc negat, illud quidem videtur concedendum esse Plutarchum hic quoque, ut O. 3, quem locum supra attuli, alium secutum esse fontem atque Tacitum. Et ne illud quidem neglegendum est nullam cogitari posse caussam, cur non verisimile putemus Plutarchum Romae commorantem ut aliorum illustrium virorum[36]), sic Secundi quoque, quem, cum Plutarchus primum Romae erat[37]), superstitem fuisse constat[38]), consuetudine usum esse.

Ac brevius possumus de ceteris locis huc pertinentibus

[36]) cf. R. Volkmann »Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chäronea.« Berlin 1869 pp. 38 sqq.

[37]) cf. Volkmann l. l. pp. 34 sqq.

[38]) Mortuus est anno 88 p. Chr. n.

dicere, quippe qui ita se habeant, ut ne Nissen quidem dubitet, quin alio atque solito fonte Plutarchus hic usus sit. Sunt igitur loci O. 14, ubi aperte dicit: „ἐμοὶ δὲ ὕστερον ὁδεύοντι διὰ τοῦ πεδίου Μέστριος Φλῶρος[39]) — διηγεῖτο[40])“ e. q. s. et O. 18, ubi id, quod tradit, se ipsum vidisse his verbis indicat: „εἶδον δὲ ἐν Βριξίλλῳ γενόμενος“ e. q. s.[41])

Quoniam igitur exposuimus Plutarchum non unum tantum fontem semper secutum esse, sed interdum et alios adhibuisse et ea tradidisse, quae ipse audiverat vel viderat, jam satis apparere existimo inde, quod interdum ea tradit, quae a Tacito negleguntur, colligi nequaquam posse hunc non praecipuum ejus fuisse fontem. Atque nulla est caussa, cur iis tantum locis eum alio atque solito fonte usum esse putemus, quibus aperte hoc dicit. Quod ut melius intellegatur, nonnullos locos afferre licebit, quibus idem fecisse videatur. Primum igitur G. 27[42]) Fabium Fabullum caput Galbae amputasse narrat, quod Tacitus hist. I 41 neglegit; tum G. 28[43]) tradit ab Helvidio Prisco Galbae corpus susceptum, ab Argio sepultum esse, cum Tacitus hist. I 49 solum Argium commemoret. Tum O. 13 multa de Mario Celso narrat, quae apud Tacitum (hist. II 44 sq.) non exstant. Atque hunc locum re vera huc pertinere ea quoque re videtur confirmari, quod Plutarchus non modo uberiorem, quam Tacitus, praebet narrationem, sed satis quoque ab eo differt. Tacitus enim haec dicit (II 45): »Legati paullisper retenti; ea res haesitationem attulit ignaris« (sc. Othonianis) «adhuc, an impetrassent; mox remissa legatione

---

39) De ejus cum Plutarcho consuetudine disserit Volkmann l. l. pp. 40 sq.

40) Vehementissime hoc quoque loco, ut eo, de quo jam supra disputavimus, errat Wiedemann, cum dicit (l. l. p. 45), Plutarchum O. 14 Mestrium Florum eorum, quae Suetonius et Tacitus pariter referant, peculiarem testem producere. Haec enim neque apud Tacitum neque apud Suetonium reperiuntur.

41) Ac ne quid videamur leviter praetermisisse, addendum videtur Plutarchum G. 16 Hesiodi et G. 27 Archilochi, quos ipse nominat, quosdam versus afferre.

42) cf. Clason l. l. p. 8.

43) cf. Clason l. l. p. 9.

patuit vallum.« Contra Plutarchus (O. 13) non eo, quod legati retenti essent, haesitationem Othonianis allatam esse tradit, sed quia Titianum poenituisset legatos ad Vitellium misisse („ἐν δὲ τούτῳ μετάνοια Τιτιανὸν ἔσχεν ἐκπέμψαντα τοὺς πρέσβεις"). Quae cum ita sint, ex mea sententia dubitari non potest, quin hoc loco Plutarchus alium atque solitum fontem adhibuerit. Accedit, quod ea, quae ipse vel audiverat vel viderat, nonnullis quoque aliis locis atque illis, quibus ipsum eum hoc dicere jam supra demonstravimus, narrationi admiscuisse videtur, ut (quod Clason l. l. p. 9 affert) ea, quae G. 28 a Tacito praetermissa tradit: „ὁ δὲ τόπος Σεσσώριον καλεῖται". Praeterea hac quoque re opinionem meam probari arbitror, quod nonnullis ex iis locis, qui huc pertinent, nulla cogitari potest caussa, cur Tacitus, si ea, quae ab ipso non relata Plutarchus tradit, in fonte illo communi scripta invenisset, non ipse quoque, ut Plutarchus, recepisset. An vides, cur loco modo laudato (hist. I 49) Argium, ignotum hominem, nominaret, Helvidium Priscum, virum illustrissimum et de quo multis aliis locis [44]) loquitur, silentio praetermitteret, si in fonte hic quoque nominatus esset?

Tantum autem abest, ut omnibus iis locis, quibus Plutarchus uberius, quam Tacitus, res enarrat, alios atque solitum eum inspexisse fontes putandum sit, ut multo pluribus locis haec Plutarchi ubertas inde manasse mihi videatur, quod consuetudinem suam secutus ea, quae in fonte invenerat, ad suum arbitrium exornavit atque amplificavit. Quam in rem, quoniam summi videtur momenti esse, accuratius inquirere mihi proposui, praesertim cum etiam Clason leviter tantum annotationibus nonnullis [45]) eam tangat. Primum igitur locus Tac. hist. I 43 in. comparandus videtur cum loco Plut. G. 26 extr. [46]). Tradit

[44]) Dial. 5; Agr. 2; ann. XVI 28. 33. 35; hist. II 91; IV 4. 5. 6. 9. 43. 53.

[45]) l. l. Appendix I.

[46]) cf. Clason l. l. p. 38, ann. 1. Peter l. l. p. 39. Wiedemann l. l. pp. 38 sq. Mommsen l. l. p. 306.

enim Tacitus Sempronium Densum, praetoriae cohortis centurionem, Pisonem Licinianum, cum Galba interfecto in eum quoque Othoniani irrumperent, summa virtute defendisse effugiumque ei dedisse. Contra Plutarchus l. l. non Pisonem, sed ipsum Galbam a Sempronio Denso defensum esse refert. Atque eum errasse, non Tacitum et per se verisimile est et inde apparet, quod Suetonius Galb. 20 aeque ac Tacitus neminem Galbae defensorem exstitisse tradit. Dicit enim: »Illud mirum admodum fuerit, neque praesentium quemquam opem imperatori ferre conatum« e. q. s. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin Plutarchus ea, quae apud auctorem suum, sive hic Tacitus fuit, sive alius scriptor Romanus, de Denso exstabant, falso, qua erat levitate, intellexerit fortasse in errorem adductus his Taciti verbis (hist. I 43): »centurio is praetoriae cohortis a G a l b a custodiae Pisonis additus«. Nam eodem ac Tacitum fonte aut hoc ipso Plutarchum hoc quoque loco usum esse vel inde patet, quod, quae Plutarchus tradit, eorum, quae Tacitus narrat, satis magnam prae se ferunt similitudinem (ut Tacitus his verbis narrationem incipit hist. I 43 »Insignem illa die virum Sempronium Densum a e t a s n o s t r a v i d i t» et Plutarchus G. 26 haec dicit: „— πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν μόνον ἥ λ ι ο ς ἐ π ε ῖ δ ε ν ἐν μυριάσι τοσαύταις ἄξιον τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας“). Et quoniam jam satis demonstrasse nobis videmur Plutarchum illa de Galba a Denso protecto relata aut ex ipsis Taciti historiis aut ex eodem, quo hic usus est, fonte hausisse, sed falso percepisse, nunc videamus, quomodo Plutarchus hanc suma narrationem exornaverit. Quod hoc loco optime perspicere nobis propterea licet, quod certe scimus eum multa, quae profert, quippe quae solum ad Galbam a Denso defensum, non ad Pisonem quoque quadrent, e fonte suo, in quo Densum tuitum esse Pisonem traditum erat, certe non hausisse, sed ipsum alucinatu messe. Ac primum considerandum est, quam rhetorice ipso initio narrationis illius dicat: „Ἤμυνε δὲ οὐδεὶς οὐδὲ ὑπέστη πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν μόνον

ἥλιος ἐπεῖδεν ἐν μυριάσι τοσαύταις ἄξιον τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας.“ Deinde vero unde putas deprompsisse eum, quae statim sequuntur: „οὐδὲν ἰδίᾳ χρηστὸν ὑπὸ Γάλβα πεπονθώς“ — „προέστη τοῦ φορείου“ — „ἐβόα καὶ διεκελεύετο φείδεσθαι τοῦ αὐτοκράτορος“ e. q. s. [47]? Quae omnia ipsum Plutarchum excogitasse contendo. Jam ad alium locum transeamus. Narrat enim Tacitus (hist. II 34 sq.) Vitellianos Caecina ac Valente ducibus transitum Padi ab Othonianis prohibitum simulasse; qua in re Germanos a Vitellii partibus stantes cum gladiatoribus, qui in Othonis exercitu erant, proelium inisse eosque superasse. Quae Plutarchus (mutata aliquantum, quod hoc quoque loco errore captus videtur esse) refert O. 10. Postea igitur Tacitus (hist. II 43) in describenda pugna Bedriacensi haec dicit: »accessit recens auxilium, Varus Alfenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam obpositae cohortes in ipso flumine trucidaverant“ e. q. s. Quo loco Tacitum — nam Batavos eosdem esse, quos Germanos loco supra commemorato nominat, per se apparet — ad illa, quae antea (hist. II 34 sq.) retulerat, lectores revocare satis nobis patet — non patuit Plutarcho. Qui in enarranda illa pugna (O. 12) haec refert: „— ἐπήγαγεν Οὔαρος Ἀλφῆνος τοὺς καλουμένους Βατάβους. Εἰσὶ δὲ Γερμανῶν ἱππεῖς ἄριστοι, νῆσον οἰκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ῥήνου περιῤῥεομένην. Τούτους ὀλίγοι μὲν τῶν μονομάχων ὑπέστησαν, οἱ δὲ πλεῖστοι φεύγοντες ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἐμπίπτουσιν εἰς σπείρας τῶν πολεμίων αὐτόθι τεταγμένας, ὑφ᾽ ὧν ἀμυνόμενοι πάντες ὁμαλῶς διεφθάρησαν“. Quo ex loco intellegitur [48]) Plutarchum verbis allatis Taciti aut fontis communis usum, quibus ad ea, quae ante pugnam facta et a Tacito et ab ipso Plutarcho jam prius relata erant (ll. ll. Tac. hist. II 34 sq. Plut. O. 10), lector revocatur, novum quoddam sua sponte excogitasse

[47]) quae omnia, ut jam supra diximus, nisi ad Galbam imperatorem a Denso protectum referuntur, intellectu carent.

[48]) cf. Clason l. l. p. 63 ann. 1. Mommsen l. l. p. 306. Nissen l. l. p. 505.

proelium. Quae cum ita sint, primum apparet eum ipsum addidisse verba „εἰσὶ δὲ Γερμανῶν ἱππεῖς ἄριστοι[49]), νῆσον οἰκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ῥήνου περιῤῥεομένην“, quae in fonte Plutarchi, quoniam de iisdem Batavis jam antea dictum erat, non fuisse manifestum est. Tum vero, ut narrationem proelii illius a se ipso inscio quidem inventi magis exornet clariusque id lectorum oculis proponat, non veretur narrare paucos gladiatorum Batavis restitisse, plurimos fugientes in hostium manus incidisse et ad unum omnes ab iis trucidatos esse. Jam perspicitur, opinor, quomodo Plutarchus interdum fonte suo usus sit et ea, quae in illo invenit, amplificaverit. Quamquam autem ii quoque, qui communem fuisse fontem Tacito et Plutarcho existimant, errasse hunc ll. ll. non negant, tamen omittunt inde colligere, quod s i n e u l l a d u b i t a t i o n e c o l l i g e n d u m e s t: Plutarchum non his tantum locis, quibus casu felici hoc plane demonstrare possumus, sed aliis quoque summo arbitrio summaque licentia ea, quae in fonte reperit, exornasse atque persaepe alucinatum esse et fabulatum. Quod eo minus mirum est, quo saepius in operibus ejus errores nobis occurrunt, qui, etsi nonnunquam inde videntur exorti esse, quod Plutarchus nonnullas Romanorum significationes proprias non satis cognoverat, interdum tamen a levitate ejus profecti sunt[50]). Velut O. 10 eum partes confudisse jam Clason[51]) ostendit. Quod verum esse facile intelleges, si hunc locum cum Tac. hist. II 34 sq. comparaveris. Nam si rectum esset, quod Plutarchus tradit V i t e l l i a n o s superatos esse („ταραττόμενοι καὶ ἀποπηδῶντες εἰς τὸν ποταμόν“ — sc. οἱ πολέμιοι i. e. Vitelliani — „τάς τε ναῦς ἀνέτρεπον καὶ τὰ σώματα τοῖς πολεμίοις — παρεῖχον“), certe ea, quae sequuntur („οἱ δὲ Γερμανοὶ τοῖς Ὄθωνος μονομάχοις περὶ νησῖδα τοῦ ποταμοῦ προς —

[49]) Docet Nissen l. l. errare Plutarchum hac quoque in re, quod ἱππέας ἀρίστους Batavos nominet.

[50]) cf. Nissen l. l. p. 504.

[51]) l. l. p. 59, ann. 1.

μίξαντες ἐκράτησαν καὶ διέφθειραν αὐτῶν οὐκ ὀλίγους") sententiam prorsus ineptam praeberent[52]). Quae cum ita sint, apparet multis locis, quibus plura Plutarchus affert, quam Tacitus, tantum abesse, ut accuratius — ut Wiedemann ceterique volunt — fontem communem secutus esse existimandus sit, ut ea, quae solus habet, ad levitatem ejus et arbitrium referenda esse videantur. Atque nonnullos locos (a Clasono jam allatos) proferre licebit, in quos, quod dixi, cadere videtur, etsi non, ut illis locis, de quibus modo locuti sumus, certis argumentis hoc probare possumus. Ut Plutarchus G. 25[53]) tradit (quod neque apud Tacitum, neque apud Suetonium invenimus) Vinium, Laconem, alios ad tuendum Galbam sacrificantem gladios strinxisse („ὄχλου δὲ παντοδαποῦ συῤῥέοντος ἐξ ἀγορᾶς αὐτῷ μὲν Οὐίνιος καὶ Λάκων καὶ τῶν ἀπελευθέρων ἔνιοι γυμνὰ τὰ ξίφη προϊσχόμενοι παρέστησαν"). Atque O. 3 refert „οὕτω δὲ τῷ δήμῳ τὴν δικαιοτάτην ἡδονὴν ἀποδοὺς ὁ Καῖσαρ αὐτὸς ἰδίας ἔχθρας οὐδενὶ τοπαράπαν ἐμνησικάκησε", quibus verbis, ut recte Clason l. l. p. 9 dicit, ea videtur exornasse, quae Tacitus hist. I 71 tradit »Otho interim contra spem omnium non deliciis, neque desidia torpescere» e. q. s. Et ut tertium afferam exemplum, ea, quae Plutarchus O. 6 de Othonis ducibus tradit: „ἦσαν δὲ καὶ τὰ ἄλλα τῶν Οὐϊτελλίου στρατηγῶν οἱ Ὄθωνος ἐντυχεῖν ἀλυπότεροι καὶ πόλεσι καὶ ἰδιώταις", Clason (l. l. p. 52 ann. 2) recte propterea eum attulisse videtur judicare, ut haec iis, quae de Caecina Vitelliano Tacitus hist. II 20 (aeque ac Plutarchus l. l.) profert, opponeret. Possum multis aliis exemplis hanc rem comprobare, sed ea, quae attuli, sufficere existimo. Ac ne iis quidem locis, quos

---

[52]) Sane Mommsen hoc, quamquam satis apertum videtur, non intellexit. Dicit enim (l. l. p. 309): »Plutarch führt fort, dass die Geschosse der Othonianer Nichts gefruchtet hätten; sie hätten aber darauf durch Brander die Schiffbrücke angezündet und die Gegner mit Verlust und Schimpf zurückgetrieben. Offenbar ist dies bei Tacitus weggelassen.«

[53]) cf. Clason l. l. p. 8.

Mommsen (l. l. pp. 309 sqq.) commemorat, ut demonstret Tacitum interdum aut leviter fonte communi usum esse aut adulterasse ea, quae in illo invenisset (dicit enim: (Es) «lässt sich auch an verschiedenen Stellen nachweisen, dass die Darstellung des Tacitus entweder flüchtig oder gefärbt ist«), Plutarchum contra accuratius fontem secutum esse, hoc probari posse videtur. Qua de re quia jam Clason[54]) disseruit, pauca attulisse satis erit. Nullam enim video caussam, cur non putemus Plutarchum duobus primis, quos Mommsen affert, locis (Tac. hist. I 86 — Plut. O. 4; Tac. hist. II 34 — Plut. O. 10 in., quo loco erravisse Plutarchum jam supra demonstravimus) ea, quae rebus a Tacito traditis addit, exornandi tantum caussa adjecisse. Quem vero tertium locum Mommsen commemorat (l. l. p. 309), Tac. hist. I 20 — Plut. G. 16, nullius ad rem momenti esse vel inde apparet, quod inest in priore illa vitae Galbae parte, in qua alios ac Tacitum fontes Plutarchum adhibuisse jam supra demonstravimus. Neque majorem vim illa habere, quae Mommsen postea affert, cum tam multa de Plutarchi scribendi ratione jam protulerimus, nemo, arbitror, non intelleget[55]).

Quoniam igitur Plutarchus iis, quae in fonte invenit, tam multa ipse adjecit, ne id quidem mirum videtur esse, quod Mommsen (l. l. p. 315) ad confirmandam sententiam suam profert, id dico, quod ea, quae a Tacito non tradita Plutarchus affert, accuratissime cum ceteris conjuncta sunt. Quod ne iis quidem locis, quibus re vera Plutarchus alium atque solitum fontem adhibuisse videtur, difficile esse ad explicandum jam Clason (l. l. p. 121) demonstravit. Nam exempli caussa commemorat Dionysium Halicarnasseum et ipsum Plutarchum, qui in Periclis vita describenda, ut H. Sauppe[56]) ostendit, optime ea, quae ex compluribus scriptoribus contulerat, ita conjunxit, ut vix discerni possint.

---

[54]) «Tacitus und Sueton« pp. 96 sqq.

[55]) cf. Clason l. l. pp. 97 sq.

[56]) «Die Quellen Plutarchs für das Leben des Pericles«.

Vidimus igitur, ut jam paucis, quae de hac re exposuimus, comprehendamus, inde, quod Plutarchus plura interdum refert, quam Tacitus, nullo modo colligi posse eum Tacito fonte praecipuo non usum esse. Neque enim quidquam impedit, quominus omnibus ejusmodi locis eum aut alios praeter illum fontes inspexisse aut ipsum ad suum arbitrium res exornasse et amplificasse putemus. —

Sequitur, ut secundam caussam refutare conemur, qua nonnulli viri docti[57]) demonstrari contendunt Plutarchum Taciti historiis in conscribendis Galbae et Othonis vitis usum non esse. Quod si fecisset, eam dicendi rationem, quam in his vitis invenimus, non tantopere abhorrere posse a Taciti orationis colore. Equidem vero hoc argumentum non satis firmum esse contendo. Caussa enim, cur dicendi genere Tacitus et Plutarchus inter se differant, inde petenda esse mihi videtur primum quod, ut supra jam diximus, Plutarchus aliud in scribendo consilium sequebatur, aliud Tacitus; deinde quod hujus verba illi non simpliciter describenda sed in Graecam linguam vertenda erant; tum quod universa Taciti scribendi ratio a Plutarchi sensu quam plurimum abhorrebat. Quam ob rem tantum abest, ut mirandum sit, quod saepe Plutarchus a Taciti dicendi genere recedit, ut contra inde, quod haud paucis locis eandem exhibet (cf. Tac. hist. I 43 »aetas nostra vidit« — Plut. G. 26 „ὃν μόνον ἥλιος ἐπεῖδεν"; Tac. hist. I 81 «cum timeret — timebatur» — Plut. O. 3 „φοβούμενος — ἦν φοβερός"), colligi possit Plutarchi auctorem fuisse ipsum Tacitum. —

Jam veniamus ad tertiam caussam, qua Hirzel (l. l. pp. 39 sq.) demonstrare conatur non alterum scriptorem ex altero

---

[57]) cf. Hirzel l. l. pp. 39 sq. Wiedemann l. l. p. 46 «hac conjectura» (dicit eorum opinionem, qui Plutarchum usum esse Tacito putant) »non explanatur, ut Plutarchus, cum Tacitus fuerit scriptor sententiarum creberrimus, res simpliciter enarrarit, summam eloquendi artem in usitatum genus sermonum, verborum granditatem in jejunam orationem formarit et velut transfigurarit«.

»aliquid in suam tantum linguam transtulisse«. Interdum enim (qua de re jam supra egimus), quae apud alterum scriptorem uno loco conjuncta inveniuntur, apud alterum discerpta et dissipata sunt. Primum vero eos locos, ubi Plutarchus res apud Tacitum distractas uno loco comprehendit, haud magni ad rem momenti esse per se apparet; neque enim ullam video caussam, quae Plutarchum prohibere potuerit ea conjungere, quae dissipata in fonte invenit. Ac ne iis quidem locis, ubi apud Plutarchum discerpta sunt, quae Tacitus conjuncta tradit, meam sententiam infirmari contendo. Omnes enim loci huc pertinentes[58]) (Tac. hist. I 6 — Plut. G. 15 et 17 de Turpiliano interfecto; Tac. hist. I 8 — Plut. G. 18 et 22 de Germanico exercitu; Tac. hist. I 72 — Plut. G. 17 in. et extr. et O. 2 de Sofonio Tigellino) in ea Galbae vitae parte inveniuntur, in qua, ut supra dictum est, Plutarchus cum Tacito hanc ob rem non congruit, quod hic ab initio demum anni 69 res ennaravit, illi contra ea quoque, quae antea acciderant, referenda fuerunt. In ea autem parte, ubi Tacitum adhibere potuit, nullum invenio locum, quo ea, quae apud Tacitum comprehensa exstant, non Plutarchus quoque conjunxerit.

Restat, ut ad refutandum id argumentum, quod viri docti[59]) inde petunt, quod Plutarchi vitas Galbae et Othonis ante primos historiarum libros scriptas esse dicunt, breviter in memoriam redigamus, quae jam supra demonstravimus, probabilius videri Plutarchum post Tacitum Galbae et Othonis tempus descripsisse, ut satis appareat nihil nos impedire, quominus putemus eum Taciti historias aut primos earum libros tum in manibus habuisse, cum ad Galbae et Othonis vitas conscribendas accederet. Nam celerrime illo tempore libros etiam in provincias perlatos esse optime ex Martialis epigrammatis[60])

---

[58]) cf. quae de his Peter l. l. pp. 43 sq. disserit.

[59]) Hirzel l. l. pp. 40 sq. Wiedemann p. 45. Mommsen l. l. p. 298.

[60]) cf. I 2 VII 88 VIII 61 IX 100 X 104 XI. 3 XII 3.

intellegi potest. Quibus rebus expositis satis docuisse mihi videor omnes eas caussas, quibus viri docti conati sunt probare putari nequaquam posse Plutarchum ad componendas Galbae et Othonis vitas adhibuisse Taciti historias, nullius momenti esse. Itaque perstandum videtur esse in sententia illa supra prolata, vel inde nostrae opinionis argumentum petendum esse, quod multo facilius consensus ille inter ambos scriptores ita explanari potest, ut putemus Tacitum auctorem fuisse Plutarchi, quam ut communi eos usos esse fonte sumamus. —

Atque haec quidem hactenus; jam veniamus ad alteram caussam, qua demonstrari videtur Plutarchum ipsum Tacitum auctorem adhibuisse. Nullus enim, si quid video, reperiri potest communis fons, cujus ex usu consensus ille inter Tacitum et Plutarchum explicari possit. Quod ut melius intellegatur, paullo accuratius inquiramus in eas sententias, quas de hac re viri docti protulerunt. Maxime autem inter se dissentiunt, ut vel inde colligi possit firmis argumentis eos nequaquam niti. —

Ac primus quidem — conservabimus enim ordinem temporis — in hanc rem diligentius inquisivit Hirzel[61], qui communem amborum fontem praecipuum (nam aliis quoque praeter hunc eos usos esse non negat) acta diurna fuisse his verbis contendit (p. 42): — »cum Tacitus ann. XVI 22 dicat »»diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur, quid Thrasea non fecerit««; Plinius ep. VII 33 »»quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in actis publicis««, cum etiam Dio Cassius ὑπομνήματα illa sive γράμματα δημόσια vel κοινά saepius nominet, equidem non dubito contendere Plutarchum et Tacitum in plurimis rebus, praesertim ubi verba consentiunt, actis illis, quae primo publice proposita, deinde a multis transcripta per provincias vulgabantur et legebantur, postea publice asservabantur, usos esse. Id factum esse imprimis verisimile est

61) l. l.

in talibus rebus et dictis referendis, quae aliquid novitatis haberent, studia hominum excitarent, curiositati inservirent, qualia multitudo amat. Ita illa, quae ad mortem Galbae et Othonis pertinent, probabile est actis diurnis latius enarrata et vulgata etiam in libros scriptorum, qui in his rebus mire consentiunt, transisse.« Quam sententiam Hirzel firmis argumentis non probavit; nam e locis ab eo allatis (Tac. ann. XVI 22 et Plin. ep. VII 33) et inde, quod a Cassio Dione quoque acta diurna nonnunquam nominantur, nihil aliud, si quid video, colligendum est, quam Tacitum illis interdum usum esse, Plutarchum, si voluisset, uti potuisse, Dionem ea cognita habuisse. Immo facillime illa opinio refutari potest idque jam Wiedemann (l. l. p. 46) et Peter (l. l. pp. 42 sq.) fecerunt. Cum enim acta diurna, in quibus, ut recte dicit Wiedemann, »volgaria publicata, unumquidque mixtum cum unoquoque, res diffuse perscriptas« fuisse inter omnes constat, longissime abhorruerint a rerum scriptorum ratione scribendi, intellegi non potest, quomodo ex tali fonte Tacitus et Plutarchus tam saepe eadem elegerint. Accedit [62]), quod permulta pariter ambo referunt, quae in actis diurnis sine dubio non erant, ut contendendum nobis esset, si Hirzelii amplecteremur opinionem, haec atque talia ex altero quodam communi fonte Tacitum et Plutarchum hausisse. Tantum autem casui nemo tribuere audebit. Atque omnino Plutarchum ne praeter alios quidem fontes acta diurna adhibuisse verisimile est. Neque enim is erat, qui hanc solam ob caussam, ut res quam maxime ad veritatem accomodatas enarraret, omnes adhiberet fontes, quibus uti ei licebat; sed iis, opinor, contentus erat, qui similiter atque ipse solebat, res gestas referebant. Aliter autem judicandum esse de Tacito postea demonstrabimus. —

Et quoniam jam satis apparere puto perversam esse hanc sententiam, nunc videamus, num aliter de ea judicandum sit, quam Wiedemann l. l. protulit. Qui hunc fere in modum

[62]) cf. Peter l. l. p. 43.

ratiocinatur: Tacitum, Plutarchum, Suetonium (quem, quantum fieri potest, neglegemus) in vitis Galbae et Othonis describendis maxime consentire. Quod inde factum esse, quod communi usi essent fonte (p. 48). Atque laudari ab iis Plinium, Cluvium Rufum, Vipstanum Messalam. Plures vero auctores eos adhibuisse hanc ob rem putandum non esse, quod si hoc factum esset, consensus ille explicari non posset (p. 49). Qua ex re effici »Plinium, Cluvium Rufum, Vipstanum Messalam fuisse, ex quibus, qui nobis sunt rerum gestarum testes, transcripserint narrationum summam« (p. 50). Pergit: »Ex quibus, cum Vipstanus Messala commemoretur a Tacito uno, solos fuisse credo Plinium et Cluvium Rufum, quorum libris hic consensus, de quo disserui, effectus sit« (p. 50; cf. 54). Quam sententiam ea quoque re confirmari, quod ex toto numero historicorum huc pertinentium neminem praeter Plinium et Cluvium Rufum »historias Galbae et Othonis prius scripsisse«, quam Tacitum, verisimile sit (p. 52). Neque vero se negare praeter hos alio quoque interdum testium genere scriptores usos esse (p. 50). Porro, cum in rebus Galbae enarrandis Tacitus et Plutarchus nonnullis locis ita inter se dissentiant, ut Plutarchus de iisdem rebus, de quibus a Tacito deflectat, congruat cum Suetonio [63]; cumque Plutarchus inter-

[63]) Cum jam saepius in Suetonium incidimus, non alienum videtur paucis demonstrare inde, quod hic modo cum Plutarcho solo, modo cum Tacito solo, modo cum ambobus consentit, colligi non posse recte illos judicare, qui communem fuisse Tacito et Plutarcho fontem eoque tertium Suetonium quoque usum esse affirmant. Primum enim eorum locorum, quibus Suetonius aeque ac Plutarchus ea refert, quae Tacitus omittit, longe plurimi — ii omnes, quos affert Peter l. l. p. 35 — in illis prioribus 18 Plutarchi Galbae capitibus reperiuntur, ut accuratius, quoniam ne nos quidem negamus Tacitum hic Plutarchi auctorem praecipuum non fuisse, in eos inquirere non opus sit. Iis vero locis, qui ad posteriora pertinent (duos invenio: Plut. O. 3 „Κλούβιος δὲ ῾Ροῦφος“ e. q. s. — Suet. O. 7 »immo ut quidam tradiderunt« e. q. s. et Plut. G. 27 — Suet. G. 20, quibus de locis jam supra locuti sumus), putandum videtur aut Suetonium ipsum Plutarchum secutum esse (cf. A. Krause »de Suetonii fontibus

dum eandem rem bis referat (de qua re jam supra diximus), putandum esse Plutarchum de rebus Galbae duobus fontibus, Tacitum uno usum esse (pp. 55 sq.). Quia autem a solo Plutarcho Cluvius Rufus auctor nominetur (O. 3) atque verisimile sit Tacitum eum hanc ob rem non adhibuisse, quod non tam accurate, quam priorum imperatorum, Othonis res enarrasset[64]), videri effici, ut de rebus Galbae Plutarchus Plinio et Cluvio, Tacitus solo Plinio usus sit (pp. 56 sq.). Contra de Othonis rebus Plutarchum neque a Tacito dissentire neque bis easdem res afferre, »ut dubitari non possit, quin de rebus Othonis — sint secuti unum scriptorem et eundem« (p. 56). Hunc esse Plinium (p. 57)[65]).

---

et auctoritate«. Berlin 1831. pp. 5 sq.), aut ambos eundem adhibuisse auctorem, quem tamen non primarium Plutarchi fontem fuisse, sed unum ex iis, quibus praeter Tacitum nonnunquam utebatur, contendimus. Utrum autem verius sit, iis dijudicandum committimus, qui accuratius in hanc ipsam rem inquisiverunt; nobis satis est demonstrasse inde, quod Plutarchus his locis alium atque Tacitum secutus est auctorem, colligi nullo modo posse hunc ejus primarium fontem non fuisse. — Porro iis locis, quibus Tacitus et Suetonius accuratius inter se, quam cum Plutarcho, consentiunt (cf. H. Lehmann »Claudius und seine Zeit« pp. 40 sqq.) existimandum est aut Suetonium ipso Tacito aut ambos eodem fonte usos esse. Illud autem omnibus iis locis factum esse puto, quibus ad verbum fere congruunt, ut Suet. O. 4 »quoties coena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat« — Tac. hist. I 24 »ut — quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret«. Quod vero Plutarchus quoque G. 20 extr. idem narrat, inde mihi videtur explicandum esse, quod Tacitum secutus est; quod omnibus iis locis, quibus et cum Tacito et cum Suetonio consentit, fecisse eum arbitror excepto uno: Tac. hist. I 5 »legi a se militem, non emi« — Suet. G. 16 »legere se militem, non emere consuesse« — Plut. G. 18 „εἰωθέναι καταλέγειν στρατιώτας, οὐκ ἀγοράζειν.“ Quem Plutarchi locum neglegere possumus, quia in 18 illis prioribus capitibus invenitur. — Qua de re plura afferre, ne longus sim, omitto; cf. quoque Wiedemann l. l. pp. 44 sqq. Clason »Tacitus und Sueton« pp. 99 sqq.

[64]) cf. Peter l. l. p. 44.

[65]) cf. quoque Wiedemann »Ueber eine Quelle von Tacitus Germania« (Forschungen zur deutschen Geschichte, Vol. IV pp. 171 sqq.) ann. 2.

Quam Wiedemanni opinionem paucis, si placet, refutemus[66]). Errasse enim videtur hac potissimum in re, quod caussam, cur aliter res se habeat de rebus Galbae, aliter de rebus Othonis, inde petendam esse censet, primum quod de rebus Galbae interdum scriptores ita inter se differant, ut Plutarchus a Tacito dissentiat, congruat cum Plutarcho, cum de Othonis rebus pariter Tacitus, Plutarchus, Suetonius referant; deinde, quod in Galbae tantum, non in Othonis quoque vita scribenda Plutarchus easdem res bis commemoret. At in priore illa afferenda caussa erravit Wiedemann; nam de Othonis quoque rebus Plutarchus et Tacitus nonnullis locis inter se differunt, ut Plut. O. 3.— Tac. hist. I. 78, de quibus multa jam supra diximus. Altero vero, quod profert, argumento non ejus, sed nostra sententia defendi videtur. Nam locos illos, quibus bis eadem commemoratur res, in priore illa Galbae vitae parte, in qua Plutarchus Tacitum auctorem praecipuum sequi non poterat, inveniri jam supra exposuimus. Accedit, quod nulla ex mea quidem sententia cogitari potest caussa, cur Plutarchus in altera vita scribenda solum Plinium, in altera Plinium et Cluvium Rufum adhibuerit, neque magis, cur Tacitus hoc, quo in annalibus condendis usus est, in historiis non usus sit. Nam quae Wiedemann, ut haec explicet, affert (pp. 56 sq.), jam a Petero (p. 44) refutata sunt. Plinium autem eum esse scriptorem, cujus ex usu consensus inter Tacitum et Plutarchum profectus sit, etsi pro certo Wiedemann contendit, firmis argumentis probare neglegit. Quod quia Nissen facere conatus est, postea, cum ad hunc pervenerimus, de hac re disseremus.

Atque longe aliam sententiam Ad. Schmidt[67]) professus est. Qui consensum inter Tacitum et Plutarchum exstantem

---

[66]) cf. Peter l. l. pp. 43 sq.

[67]) »De quibusdam auctoribus Romanis, quos in describendis rebus annorum 68 et 69 p. Chr. n. gestis Tacitus, Plutarchus, Suetonius secuti sunt aut secuti esse videntur vel dicuntur«. Jenae 1860.

non ex uno fonte communi, sed ex compluribus repetendum esse censet. Quam ad opinionem perversam, si quid video, adactus est ea re, quod apud utrumque scriptorem saepe inveniuntur hujus modi sententiae (p. 4.): Tac. hist. II. 37 »invenio apud quosdam auctores«; I. 101 »scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli hujusce composuerunt, — tradidere«; Plut. G. 14 „ὥς φασιν ἔνιοι"; G. 27 „ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσι — ἔνιοι δὲ — οἱ δὲ — οἱ δὲ ἱστοροῦσιν" e. q. s. At ab omnibus jam conceditur et ipso inter Tacitum et Plutarchum in his sententiis afferendis consensu demonstratur aut ambos scriptores, ut Mommsen, Nissen, ceteri volunt, aut certe Plutarchum talia e fonte suo simpliciter transcripsisse. Et quomodo, si uterque non uno potissimum, sed compluribus pariter fontibus usus esset, consensus ille mirus explicari posset? Qua de re quoniam jam supra satis accurate disseruimus, longum est multa denuo afferre.

Deinceps dicatur de ea sententia, quam Peter[68]) protulit quamque Mommsen[69]) ita secutus est, ut gravioribus argumentis probare eam studeret. Contendunt enim illi viri communem Taciti et Plutarchi (et Suetonii, quem nos neglegimus) auctorem fuisse Cluvium Rufum. — Cluvius Rufus[70]) natus circa annum sextum p. Chr. n. consulatum sub Caligulae imperio gessisse videtur. Postea autem a Galba Hispaniae Tarraconensi praepositus est. Cum vero Galba mortuo bellum inter Othonem et Vitellium exarsisset, cunctatus aliquamdiu Vitellii partes suscepit. Mortuus esse videtur sub Vespasiano; sed jam anno 70 decessisse eum, quod Nipperdey (l. l. p. 26) contendit, non modo certum, sed ne verisimile quidem esse Mommsen[71])

---

[68]) l. l.

[69]) l. l.

[70]) quae de vita ejus tradita sunt, inveniuntur apud Mommsenium l. l. pp. 318 sq. et apud Nipperdeyum l. l. p. 26.

[71]) l. l. p. 319 ann. 7.

et Clason[72]) plane ostendunt. Atque quot et quos annos historiis, quas scripsit[73]), complexus sit, etsi non certe scimus, tamen verisimile est jam Caligulae vitam eum tractasse, tum sequentium imperatorum omnium usque ad Vitellii mortem[74]). Quamquam autem Tacitus Cluvium Rufum in annalibus tantum (XIII, 20; XIV. 2) auctorem laudat, non in historiis, tamen inde nequaquam colligendum est eum in his illius historiis ne usum quidem esse. Atque Plutarchus eum solum — si eos locos neglegimus, ubi sermonis communicatione nititur — auctorem in vitis illis commemorat. Qua sola caussa Peter commotus est, ut (l. l. pp. 40 sq.) affirmaret Cluvium Rufum fuisse communem Taciti, Plutarchi, Suetonii fontem, atque etiam Mommsen (l. l. p. 321) vix opus esse aliis argumentis affirmat. Tamen nonnulla affert, quibus sententiam suam confirmari putat. Quae quoniam pauca sunt, ipsa ejus verba repetere licebit. Dicit enim: »Alle Nachrichten darin« — significat Taciti historias et Plutarchi vitas Galbae et Othonis —, »die sich auf Cluvius eigne Erlebnisse beziehen, tragen in so bestimmter Weise den Stempel des Persönlichen, dass sie als ebensoviele Ursprungs-Zeugnifse gelten dürfen. Die »»mündlichen Mittheilungen«« des Secretärs des Kaisers Otho, Secundus, auf die sich Plutarch beruft, und die auch bei Tacitus und Sueton dem Inhalt nach wiederkehren« — quod jam supra refutavimus — »passen ebenfalls für Cluvius Rufus, denn jener ist wahrscheinlich der aus den Institutionen Quintilians und dem Dialog des Tacitus wohlbekannte Julius Secundus, der als jüngerer Zeit- und als Fachgenosse dem Cluvius nicht fremd gewesen sein kann.« In quam sententiamio etsi jam a Nissenio (l. l. pp. 530—532) plana refutata esse mihi videtur, tamen nos quoque paucis inquiramus. Ac primum quidem inde, quod Plutarchus solum Cluvium auctorem laudat, colligi nullo

72) »Tacitus und Sueton« pp. 79 sq.

73) cf. Plin. ep. IX. 19 »si quid in historiis meis legis.«

74) cf. Mommsen l. l.; Nipperdey l. l.

modo potest eum ne usum quidem alio esse. Nam satis, ut jam supra diximus, notum est Plutarchum hunc ipsum auctorem, quem maxime sequitur, saepe non nominare. Accedit, quod ex ipsa ea ratione, qua in afferendo Cluvio Plutarchus (O. 3) utitur („καί τινων εἰκόνας Νέρωνος εἰς τουμφανὲς προθεμένων οὐκ ἐκώλυσε. Κλούβιος δὲ Ῥοῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα“ e. q. s), colligi posse videtur hunc non praecipuum Plutarchi fuisse auctorem.

Atque alteram Mommsen, ut dixi, affert caussam, quod ii loci, quibus in enarrandis rebus gestis Tacitus et Plutarchus Cluvium Rufum commemorent, ejus modi sint, ut appareat ab ipso Cluvio eos repetendos esse. Sed hanc sententiam Nissen (l. l.) ita refutat, ut aperte demonstret contrarium valere. Quoniam autem longum videtur omnia Nissenii argumenta repetere, unum afferamus locum, quo vel solo demonstrari videtur perverse Mommsenium judicare[75]). Tacitus enim hist. III. 65, postquam tradidit Flavium Sabinum, Vespasiani fratrem, de pace egisse cum Vitellio, ita pergit: „Postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum.« Quid? Nonne putas Cluvium Rufum colloquium illud, quippe cui ipse interfuisset, tam diligenter in historiis suis perscripsisse, ut Tacitus, si eum fontem adhibuisset praecipuum, verba illa »ut fama fuit« scribere nullo modo potuerit? Dicat quispiam hoc argumentum propterea nullius momenti esse, quod dubitandum sit, an Cluvius Rufus non Vitellii quoque tempus historiis suis amplexus sit; quod ni fecerit, nihil impedire, quominus putemus Tacitum in primis duobus historiarum libris condendis Cluvium, in sequentibus alium scriptorem secutum esse. Sed quamquam concedendum est certis testimoniis non confirmari posse illam sententiam nostram, Cluvium certamen quoque inter Vitellium et Vespasianum descripsisse,

---

[75]) cf. Clason »Tacitus und Sueton« pp. 81 sqq.

tamen verisimillimam eam esse ne Mommsen quidem[76]) negat. Etiamsi vero hunc neglegimus locum, efficitur tamen, ut Nissen (l. l.) ostendit, ex iis ipsis locis, quibus in duobus primis libris Tacitus Cluvium commemorat (hist. I. 8; 76; II. 58; 65), hunc non fuisse fontem praecipuum Taciti.

Neque magis eo argumento, quod tertium Mommsen profert, cum ad ea provocet, quorum Plutarchus Secundum testem nominat, confirmari ejus opinionem vel ex iis patet, quae de hac re supra attulimus. Accedit, quod, etiamsi vera esset eorum sententia, qui Plutarchum locum illum non ab ipso Secundo petivisse arbitrantur, tamen nulla cogitari potest caussa, cur Secundus alii scriptori non aeque ac Cluvio illa narrasse putari possit.

Quoniam igitur ea refutavimus, quae Mommsen ad confirmandam sententiam suam profert, nunc ad eam rem progrediamur, qua vel sola plane demonstretur non recte eum judicare. Colligendum enim est, ut jam supra demonstravimus, ex loco Tac. hist. I. 78 comparato cum Plut. O. 3 hic certe Tacitum non adhibuisse Cluvium Rufum. Quem quapropter hoc ipso loco neglexisset, si praecipuum auctorem eum habuisset, non intellegeremus. Quod autem eo loco, quo solo, si ad duos primos historiarum libros spectamus, recte sine ulla dubitatione solvere possumus illam quaestionem nobis propositam, ususne sit Tacitus Cluvio Rufo, necne, negandam eam esse apparet, gravissimum, si quid video, argumentum est, quo demonstretur Cluvium Rufum non fuisse praecipuum Taciti auctorem. Usum autem eum esse illo pariter atque aliis scriptoribus nequaquam negaverim.

Restat, ut de ea sententia pauca dicamus, quam Nissen et ante eum similiter jam Wiedemann — de quo supra disputavimus — protulerunt. Qui Plinii majoris natu historias communem esse, quem omnes quaerunt, fontem censent. Atque

---

[76]) l. l. p. 320.

hunc librum, quem inscriptum fuisse »a fine Aufidi Bassi XXXI« e Plinii ep. III 5.6 apparet, et quo aetatem imperatorum a Nerone usque ad Vespasianum complexam fuisse verisimile est[77]), Tacitus tribus locis (ann. XIII. 20; XV. 53; hist. III. 28) commemorat, nusquam Plutarchus. Septem igitur Nissen (l. l. pp. 532—534) caussas affert, quibus sententiam suam probare conatur; quas deinceps omnes refutare volumus.

Ac primum quidem hac re opinionem suam confirmari contendit, quod Plinii historiae inter omnes similes libros maxime idoneae fuerint, quas in scribendo Tacitus et Plutarchus sequerentur. Atque eum solum praeter Vipstanum Messalam a Tacito in historiis laudari auctorem. Messalam vero [78]) communem fontem hanc ob rem putari non posse, quod verisimile sit eum non historias, sed leviorem aliquem libellum composuisse. Quod verum esse etiamsi concedimus — potest autem dubitari de hac re — tamen nullo modo cogimur, ut illam Nissenii sententiam, Plinium fuisse communem Taciti et Plutarchi auctorem, sequamur, nisi antea — quod Nissen sane tam certum esse opinatur, ut argumentis probare omnino non conetur — concessimus consensum inter Plutarchum et Tacitum ab ejusdem fontis usu profectum esse. At hoc equidem prorsus nego. Adde quod praeter Plinium alii fontes satis multi utendos sese illis obtulerunt, ut Cluvius Rufus, acta populi, acta senatus, alii.

Alteram Nissen affert caussam his verbis, quae quia non satis dilucida mihi videntur esse, ad verbum exprimam: »Zweitens pafst die Bezeichnung als flavischen Geschichtsfchreiber« (dicit locum Tac. hist. II. 101 »scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli hujusce composuerunt« e. q. s.) »auf ihn« (i. e. Plinium) »vortrefflich; ob auf Cluvius und Andre, bleibt höchst ungewiss. Wenn

[77]) cf. Nipperdey l. l. p. 27.

[78]) cf. pp. 528 sq.

aber Tacitus an hervorragender Stelle am Ende des zweiten Buchs seinen Gegensatz gegen diese Auffassung bekundet (S. 515)[79]), so gibt er damit in Betreff seiner Hauptquelle einen sehr deutlichen Fingerzeig.« Confiteor me non intellegere, quo jure Nissen in verbis Taciti allatis argumentum positum esse contendat, quo suam probaret opinionem[80]). Primum enim non »sciptorem« dicit Tacitus, sed »scriptores«, ut appareat errare Nissenium, cum putet verba illa ad solum Plinium spectare videri; tum nullam video caussam, cur existimandum sit hoc loco de iis scriptoribus vel, ut Nissen vult, de eo scriptore dicere Tacitum, quem primarium fontem adhibuit. Neque enim intellego, cur Nissen contendat ea ipsa re, quod hoc loco ab illo scriptore — ut Nissen putat — deflectat, plane ostendere Tacitum se aliis locis eo praecipuo fonte usum esse. Contra mihi ex hoc loco illud colligendum esse videtur (de qua re postea accuratius disseremus), Tacitum non eum fuisse qui fontem suum simpliciter transcriberet, sed magna diligentia in condendis operibus usum esse.

Jam veniamus ad tertiam Nissenii caussam, quam inde petit, quod Plinius nobilitate sui temporis aeque usus sit atque scriptorem illum, quem Tacitus et Plutarchus secuti essent, usum esse ex horum libris appareret[81]), ut colligendum esset ipsum Plinium hunc fuisse. Velut Verginium Rufum,

---

[79]) p. 515 Nissen loco illo (Tac. hist. II. 101) allato haec dicit: »Bei den Umwälzungen des Imperiums handelte es sich um die Parteinahme von Personen, nicht wie früher um diejenige von Ständen. Namentlich Tacitus drängt im ganzen Umfang seiner Schriften die einzelnen Individuen auf Kosten der Massen in den Vordergrund. Sein Interesse ist darauf gerichtet die Motive ihrer Handlungen zu ermitteln. In diesem für ihn wesentlichsten Punkte wirft er dem Urtheil seines Gewährsmannes Parteilichkeit und Schönfärberei vor.'' (!)

[80]) cf. W. Dieckmann l. l. p. 7.

[81]) Dicit enim p. 533: »Drittens nimmt unser Berichterstatter diejenige Stellung zu den Adelscoterien ein, welche genau auf Plinius zutrifft.«

amicum et popularem Plinii [82]), saepius summis ornari laudibus, vituperari nusquam. Sane hoc magis in Plutarchi vitis apparere, quam in historiis Taciti, quippe qui et laudes in Verginium et vituperationes in inimicos ejus (ut in Fabium Valentem) collatas aliquantum minuerit. At ego ne apud Plutarchum quidem reperio unum locum — laudat Verginium G. 6. 10. 18. 22. O. 1. 18 — ubi majoribus laudibus hic exornetur, quam quibus dignus videatur esse. Neque intellego, qua re nisus Nissen dicere audeat Tacitum (qui commemorat Verginium in historiis I. 8. 52. 77; II. 49. 51. 68; III. 62) minuisse et laudes, quas in Verginium, et vituperationes, quas in inimicos ejus communis illius fontis scriptor contulisset; nam ex mea quidem sententia eodem vel majore jure putare licet Plutarchum laudes a fontis scriptore Verginio tributas, ut erat laudandi cupidus, auxisse atque amplificasse. Quae vero Nissen addit: »Wenn die Beurtheilung des Caecina von Tacitus eine parteiische genannt wird, so passt dies zu der Zeit, wo Plinius schrieb, gleichfalls sehr gut. Denn während Caecina unter Vespasian die höchsten Ehren bekleidete, ward durch seine 79 gegen Titus gerichtete Verschwörung die Masslosigkeit seines Ehrgeizes klar an den Tag gelegt«, nullius ponderis sunt. Nam id solum, etiamsi vera esset sententia illa, communi fonte Tacitum et Plutarchum usos esse, hac re probari posset, scriptum eum esse ante annum 79.

Transeamus igitur ad quartam Nissenii caussam. Contendit enim inde, quod scriptor communis illius fontis consuetudine conjunctus fuisse videatur cum Verginiis et Caecinis, quodque de Galliae Cisalpinae rebus nonnunquam — locos intellegit Tac. hist. II. 20 sq. Plut. O. 6. — uberius agatur, quam par sit, apparere eum, qui fontem communem composuerit, ex illis

[82]) cf. Plin ep. II. 1, 7 sq. »mihi — qui illum« (Vergin. Rufum) »non solum publice, sed etiam privatim, quantum admirabar, tantum diligebam; primum quod utrique eadem regio, municipia finitima, agri etiam possessionesque conjunctae« — e. q. s.

regionibus oriundum fuisse. Quod argumentum quantum valeat, per se intellegitur. Nam de Verginio, Caecina, aliis etiam quivis alius ac Plinius ea poterat afferre, quae apud Plutarchum et Tacitum inveniuntur; ex iis autem, quae hist. II. 20 et O. 6 de ornatu atque vestibus Caecinae et hist. II. 21 de amphitheatro Placentino conflagrato — de quo Plutarchus ne unum quidem verbum profert — afferuntur, nemo, opinor, praeter Nissenium audebit colligere eum, quem communem auctorem scriptores adhiberent, oriundum fuisse ex Gallia Cisalpina.

Atque quintam Nissen inde petit caussam, quod Galliarum provinciarum res multo accuratius describi contendit, quam Pannoniae, Hispaniae, Africae, Orientis; cujus rei nulla alia cogitari possit caussa, quam quod communis fontis scriptor harum ipsarum provinciarum res optime cognitas habuerit, quod in Plinium cadere videri. At nego equidem de Galliis provinciis plura et accuratiora proferri, quam res ipsa ferat. Nam ea ipsa, quae illic acciderant, maximi erant momenti.

Neque majoris ponderis videtur esse sexta Nissenii caussa. Dicit enim ex Plutarchi et Taciti libris apparere communem eorum auctorem eadem subtilitate ac doctrina in componendis historiis usum esse atque in Plinio fuisse ex ejus naturali historia cognosceretur. Quo de argumento, quoniam per se audacius id esse intellegitur, quam ut quidquam possit valere, plura proferre supervacuum videtur esse.

Restat, ut ultimam Nissenii caussam refutare conemur, quam inde repetit ille, quod in Plutarchi Galbae et Othonis vitis eadem atque in Plinii naturali historia inveniatur describendi ratio. Quo de argumento aeque ac de priore judicandum videtur esse.

Immo vero non solum nullius momenti sunt illa Nissenii argumenta, sed contra proferri ea possunt, quibus erarre eum

aperte demonstretur. Primum enim jam D. Detlefsen[83]) ostendit tantum abesse, ut Taciti historiae cum Plinii naturali historia congruerent, ut omnibus fere locis, quibus Tacitus vel in annalibus vel in historiis easdem commemoraret res, quas Plinius in naturali historia attingeret, aut dissentirent scriptores aut non tantopere consentirent, ut colligi posset eundem fuisse auctorem fontis Taciti et naturalis historiae. Unde recte mihi videtur Detlefsen effecisse verisimile esse Taciti historias, quoniam cum Plinii naturali historia non congruerent, ne cum historiis quidem ejusdem plane consensisse. Nam cum Plinius in naturali historia componenda iis scriptoribus, qui ejusdem atque ipse temporis descripserant historiam, usus non esset — non enim eos esse ex numero fontium, quos omnes ille afferret —, contra suas ipsius historias bis fontem laudaret, dubitari vix posse, quin his usus esset; qua de caussa nequaquam putandum esse de iis rebus, quas et in historiis et in naturali historia commemorasset, dissensum inter duos illos libros fuisse. — Ad quod argumentum satis firmum accedunt aliae caussae, quibus aperte demonstratur perversam esse Nissenii opinionem. Quod vel ex uno illo loco, ubi Tacitus in historiis Plinium auctorem laudat, colligi posse videtur. Nam postquam narravit (hist. III. 27) fessis Vespasiani militibus, ut ad expugnandam Cremonam inflammarentur, a ducibus urbem monstratam, i. e. promissum esse eam iis diripiendam traditum iri, ita pergit (III 28): »Hormine id ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim.« Quae non ejus videntur esse, qui Plinium primarium fontem sequi ejusque verba saepius simpliciter transcribere solitus sit. — Accedit argumentum aliud idque gravius: tradit enim Tacitus (hist. II 48) Othonem, priusquam manum sibi inferret, Salvium Coc-

---

[83]) »Ueber des älteren Plinius Geschichte seiner Zeit und ihr Verhältniss zum Tacitus.« Philologus XXXIV. pp. 40 sqq.

cejanum fratris filium Vitellii iram metuentem consolatum esse atque admonuisse, ut »erecto animo capesseret vitam neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset.« Ac Plutarchus O. 16 eadem his verbis tradit: „'Εκεῖνο δέ, εἶπεν, ὦ παῖ παρεγγυῶμαί σοι τελευταῖον, μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασι μήτε ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες." Qui loci quoniam accuratissime consentiunt, iis, qui Plutarchum Tacito non usum esse existimant, a communi fonte ac Nissenio quidem a Plinio repetendi sunt. Sed potest vix negari ultimis Othonis verbis (»neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset« — „μήτε ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες") vaticinium, quod dicunt, post eventum contineri. Legimus enim apud Suetonium (Domit. 10): »Interemit« (Domitianus) »Salvium Coccejanum, quod Othonis imperatoris patrui sui diem natalem celebraverat.« Atque mirifico quodam et incredibili casu factum esset, si Otho re vera Coccejano illa verba dixisset et hic multis annis post ob hanc ipsam rem, quod »nimium meminisset« patrui, supplicio affectus esset. Aliter enim res se haberet, si Otho illum monuisset, ne imperium appeteret, sique Coccejanus, quod tamen hoc fecisset, interfectus esset. Hoc enim, si Coccejanus dominandi fuisset cupidus, praesagire Otho potuit — illud vatis est. Quam ob rem pro certo affirmandum esse existimo — quod ne Nissen quidem negat (p. 544) — verba illa Othonis ab eo scriptore ficta esse, qui post Coccejani mortem, i. e. non ante Domitiani imperium, historiam illius temporis descripsit. Cum vero Plinius jam anno 79 Vesuvii eruptione periisse notissimum sit, ex mea quidem sententia vix dubitari potest, quin hoc certe loco Plinius non fuerit amborum scriptorum auctor communis. Quo ex dilemmate ut effugiat, Nissen (pp. 544 sqq.) sumit Plinium minorem natu, cui »avunculus idemque per adoptionem pater« [84]) historias

[84]) Plin. ep. V 8. 5.

edendas mandaverat [85]), has, priusquam emitteret, recognovisse et praeter alia illa quoque Othonis verba addidisse. Quam opinionem probilitate prorsus carere per se intellegitur. Neque ea, quae Nissen ad confirmandam eam (pp. 545 sq.) profert, ullius momenti sunt. Dicit enim verisimile esse Plutarchum laudes illas, quibus Verginium saepius exornaret, non ex sua ipsius scientia, sed e fonte communi, i. e. e Plinii historiis, repetivisse, in quas Plinius minor natu eas inseruisse putari posset. Quod argumentum nihil valere facillime intellegitur. Quam ob rem quoniamque jam supra de his Verginii laudibus disseruimus, transeamus ad alteram caussam, qua Nissen probare studet Plinium minorem natu recognovisse et amplificasse avunculi historias. Quam non majoris ponderis esse facile quisque concedet. Dicit enim Nissen (pp. 545 sq.): »Dafür« — sc. ejus rei, quod inseruerit Plinius minor natu laudes in Verginium collatas — »finden wir noch eine andere Beſtätigung. In dem ſchönen Brief, in welchem Plinius den Tod des Verginius anzeigt, heiſst es 2, 1. 2 »»triginta annîs gloriae suae supervixit: legit scripta de se carmina, legit historias et posteritati suae interfuit.«« Die letzten Worte erlangen erst ihre volle Bedeutung, wenn man im Sinne behält, daſs in dem vom Oheim geſchriebenen, vom Neffen edirten Geſchichtswerke Verginius den Ehrenplatz einnahm.« At talibus rebus nihil probari per se apparet. Contra gravissimae caussae opinioni illi Nissenii, Othonis verba Salvio Coccejano dicta a Plinio minore natu in avunculi historias inserta esse, vehementer repugnant. — Nam primum non is erat Plinius, qui leviter Domitiani iram irritaret, quod ne faceret, sine dubio ei timendum fuit, si verba illa Othonis adjecisset. Et ipse Nissen contendit (p. 546) Plinium in recognoscendis avunculi historiis omnes eos locos delevisse, quibus imperatorem offendi posse putaret. Accedit, quod in epistolis Plinii ne unum quidem invenitur vestigium, unde colligi possit recognovisse eum illum librum. Neque enim

[85]) cf. Plin. nat. hist. praef. 20.

intellego, quo jure Nissen (p. 547) dicat Plinium quodammodo significare illam suam recognoscendi operam his verbis (ep. VI 16. 2 sq.) »quamvis ipse« (Plinius major natu) »plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum aeternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda; beatissimos vero, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit«. — Quam ob rem, quoniam Plinius se recognovisse avunculi historias ne verbo quidem in epistolis commemorat, pro certo affirmare possumus eum non suscepisse hunc laborem. Neque enim ullius momenti sunt, quae Nissen ad explicandum Plinii minoris natu de hac re silentium profert (pp. 546 sq.): »In dem gesammten Briefwechsel findet fich auch nicht die leiseste Andeutung von einer früheren Thätigkeit des Schreibers auf historifchem Gebiet. Dies ist sehr begreiflich; denn einmal hatte er bei der total veränderten politifchen Sachlage keinen Grund fich einer folchen zu rühmen und zweitens war der Schlusstheil des Werkes durch die Bücher des Tacitus, deren Veröffentlichung etwa mit dem J. 100 beginnt, völlig überholt und verdrängt worden. Ein so delicates Verhältnifs aber, wie solches zwischen den beiden Plinius und ihrem glücklichen Nebenbuhler bestand, vor das Forum des Publicum's zu ziehen, widersprach ebensosehr dem Charakter des Briefstellers als dem seiner ausgewählten Correspondenz.« Concedet enim quisque Plinium non eum fuisse, qui labores suos et merita occultaret, neque in epistolis suis, quibus quantum poterat, lucem sibi ipsi afferre studuit, si recognovisset et amplificasset avunculi historias, hoc commemorare omissurum fuisse. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin hoc non fecerit. Quod etiamsi sumeremus, tamen — qua de re jam supra diximus — non concederemus eum illa quoque Othonis verba addidisse. Quibus rebus expositis satis docuisse videor Tacitum et Plutarchum verba illa ex Plinii historiis non hausisse. Porro,

quoniam putari nullo modo potest hoc ipso loco scriptores alio atque solito et ambos eodem quidem usos esse fonte aut ex sua ipsorum notitia — quam Plutarchum ne habuisse quidem Nissen (p. 544) ostendit — idem addidisse, efficitur, si modo verum est, quod contendimus, contineri verbis illis vaticinium post eventum, Plinium omnino non fuisse communem Taciti et Plutarchi auctorem. —

Veniamus nunc ad aliam caussam [86], quae vehementer videtur repugnare Nissenii opinioni. Vix enim credendum est Tacitum, etsi amicissimus erat Plinii minoris natu, tamen hujus avunculi historias tam accurate secutum esse et ad verbum saepius transcripsisse, neque ullo loco in Plinii epistolis hoc commemorari. Neque potest intellegi, quomodo Plinius, si scivisset Tacitum ita, ut Nissen putat, avunculi libro usum esse, verba illa jam supra allata (ep. VI 16. 3): »Equidem beatos puto« e. q. s. vel illa (VII 33. 3): »Demonstro itaque, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis« multaque alia scribere potuerit. Quod quia recte intellexit Dieckmann, sed tamen perstandum esse in ea sententia existimavit, ut Plinium communem Taciti et Plutarchi auctorem putaret, in opinionem absurdissimam, si quid video, inductus est. Dicit enim (l. l. p. 19) »— propior certe ea est opinio ipsam illam priorum illorum librorum speciosorem cum Plinii imagine congruentiam, ubi vel nugas illius genusque scribendi interdum splendidum agnoveris, Plinii junioris operae deberi (!), qui loco talia maxime quaeque idoneo« — quae verba intellectu prorsus videntur carere — »ex opere sibi edito repetierit.« Qua de sententia plura proferre opus non videtur esse. —

Quibus rebus expositis apparere puto, quam perverse Nissen tanquam »axioma« (p. 535) nobis proponat sententiam illam, Plinii historias omnium eorum Taciti et Plutarchi loco-

[86]) breviter de ea jam W. Dieckmann l. l. pp. 18 sq. disputavit.

rum fontem esse habendas, ubi aliter rem se habere demonstrari non possit. Eodem vero modo atque aliis libris Tacitum illo quoque usum esse negare neque volumus neque possumus.

Concedendum igitur est, si recta sunt, quae attuli, neque acta diurna communem fontem ducenda esse, neque Plinii aut Cluvii historias, neque existimandum esse Tacitum et Plutarchum compluribus pariter communibus fontibus usos esse. Quemnam autem tu potes alium praeter eos, quos commemoravi, auctorem nominare, quem secutos esse ambos existimemus? An Fabium Rusticum? At hic in annalibus tantum (XIII 20. XIV 2. XV 61) auctor laudatur, nusquam in historiis, neque omnino videtur in scribendis historiis longius provectus esse, quam usque ad Neronis exitum[87]). Ac ne illud quidem neglegendum est, superstitem eum fuisse, cum Tacitus historiarum primos libros ederet[88]), ut vel hanc ob rem vix existimandum sit hunc ejus historiis semper fere accuratissime usum esse. — An Vipstanum Messalam? Qui in tertio solo historiarum libro (cc. 25. 28) testis laudatur, non in duobus primis, neque verisimile est[89]) — quod jam supra diximus — eum opus vere historicum condidisse. — An Domitium Corbulonem, quem Tacitus ann. XV. 16 auctorem affert? At, ut alia omittam, notum est eum jam anno 67 a Nerone supplicio affectum esse. An Cassium Severum, quem in hoc tempore describendo Suetonius (Vitell. 2) testem memorat? At eum historias scripsisse nemo, opinor, contendet neque potest dubitari, quin Suetonius illa e famosis ejus libellis[90]) hauserit. — An alium ex eorum numero, quos Ad. Schmidt[91]) affert: »Eulogius, Suetonius Paullinus, Licinius Mucianus, Asconius Pedianus, Julius Secundus, Junius Rusticus, Herennius Senecio, C. Fannius, Titinius Capito, Aquilius Regulus, Hermogenes Tarsensis,

---

[87]) cf. Ad. Schmidt l. l. pp. 6 sq.

[88]) cf. Teuffel, Röm. Literatur-Gesch. § 314, 6.

[89]) cf. Nissen l. l. pp. 528 sq. Clason »Tacitus und Sueton« pp. 88 sqq.

[90]) cf. Tac. ann. I. 72.

[91]) l. l. p. 4; cf. quoque Wiedemann l. l. pp. 51 sq.

Pompejus Saturninus, Pompejus Planta?« Quorum in quemcumque paullo accuratius inquisiveris, facile cognosces eum communem Taciti et Plutarchi auctorem haberi nullo modo posse. Quid si illa reputas, quae de Othonis verbis Salvio Coccejano dictis supra attulimus? Quae si vera sunt, concedendum est ante Domitiani imperium fontem illum communem, quem quaerunt, conditum non esse; sub ipso autem Domitiano scriptum eum esse hanc ob rem non verisimile est, quod periculosissimum tum fuisset ita notare supplicium de Salvio Coccejano sumptum. — Quam ob rem iis, qui manent in illa opinione, consensus inter Tacitum et Plutarchum exstantis caussam positam esse in eodem fonte adhibito, statuendum videtur esse hunc sub Nerva aut sub Trajano scriptum esse. In qua re etiamsi illud neglegimus, vix credendum esse Tacitum ejus scriptoris opus ad verbum haud raro secutum esse, qui paucis tantum annis ante ipsum scripserat — quis, quaeso, ultimis primi saeculi annis tale opus scripsit, quo Tacitus et Plutarchus in describendo Galbae et Othonis tempore uti possent? Contra qui diversam sequuntur sententiam, ne in minimas quidem difficultates incurrunt. Facile enim cogitari potest Tacitum e sua notitia vaticinium illud post eventum finxisse, Plutarchum eum secutum esse. — Quae cum ita sint, equidem puto communem illum fontem, quem tot viri per tot jam annos frustra quaesiverunt, quem reperisse tam saepe falso putaverunt, omnino reperiri non posse: nunquam enim fuit.

Satis mihi multa verba de hac re fecisse videor; nunc ad aliam transgrediamur caussam, qua nostra sententia confirmatur. Contendo enim ex ipsis Taciti operibus demonstrari posse ad haec condenda magnam eum adhibuisse diligentiam neque temere unum fere semper fontem secutum esse. Quam rem, quia Clason[92]) et Nipperdey[93]) non tam accurate, quam

---

[92]) »Plutarch u. Tacitus« pp. 14. 21.

[93]) l. l. pp. 23—30.

par est, in eam inquisiverunt, denuo nobis pertractandam proposuimus. Videtur enim summi esse momenti. Priusquam autem ad ipsam caussam transgrediamur, monendum videtur putari non posse, quod tamen Mommsen contendit[94]), Tacitum, si in historiis aut in primis earum libris conscribendis leviter unum fere semper transcripsisset fontem, in annalibus componendis longe aliam viam ingressurum compluribusque fontibus pariter usurum fuisse. Hanc enim opinionem jam Nipperdey (l. l. pp. 28 sq. ann.: »Denn bei mancher Verschiedenheit zwischen den Historien und den Büchern ab exc. d. Aug. ist doch in der geistigen Bedeutung und der stilistischen Fähigkeit in beiden Werken unleugbar eine so grosse Uebereinstimmung, dass die Verschiedenheiten dagegen verschwindend gering sind, und der, welcher in dem einen abschrieb, nicht in dem anderen selbständiger Schriftsteller gewesen sein kann.«) et Clason (»Tacitus und Sueton« p. 123: »— Tacitus war bei Abfassung seiner historiae wenigstens zwischen 40 und 50 Jahren alt, ein Alter, in dem sich Charakter und Auffassungsweise gewöhnlich schon zu einer festen Form gestaltet haben; da wäre denn doch der Sprung in der Quellenbenutzung von den historiae bis zu den letzten Büchern der Annalen ein gar zu grosser.«) prorsus refellerunt. Et quoniam inter omnes, qui in annalium fontes diligentius inquisiverunt, constat Tacitum in hoc opere condendo non unum auctorem fere semper accuratissime secutum esse, sed complures et scriptores et alios fontes adhibuisse, vel inde colligi posse videtur in historiis scribendis eum idem fecisse. Accedit, quod Tacitus in componendis iis libris, quos ante historias confecerat, unum fontem sequi ne potuerat quidem. Neque vero putandum est eum, qui quantum ipse polleret, summa cum gloria demonstravisset, postea acquievisse in alio scriptore ad verbum saepe transscribendo. — Ut autem planius appareat et in historiis et in annalibus componendis Tacitum magna diligentia — quamvis

[94]) l. l. pp. 317 sq. 325.

minore nimirum, quam nostri temporis rerum scriptores — usum esse, primum omnes proferemus locos, quibus nominatim fontes suos commemorat. Sunt enim hi:

Ann. I 69: »tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor«.

ann. I 81: »— vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius« (Tiberii) »orationibus reperiuntur«.

ann. III 3: »non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio«.

ann. IV 53: «id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae«.

ann. XIII 20: »Fabius Rusticus auctor est scriptos esse — Plinius et Cluvius referunt« —.

ann. XIV 2: »tradit Cluvius — Fabius Rusticus memorat«.

ann. XV 16: »contraque prodiderit Corbulo«[95]).

ann. XV 53: »quod C. Plinius memorat«.

ann. XV 61: »tradit Fabius Rusticus«.

ann. XV 74: »reperio in commentariis senatus«.

hist. III 25: «rem nominaque auctore Vipstano Messala tradam«.

hist. III 28: »Hormine id ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit C. Plinius, — haud facile discreverim«.

(hist. III 51: «ut Sisenna memorat«).

Quibus omnibus locis ipsum Tacitum iis, quos nominat, fontibus usum esse nemo, opinor, negabit. Quod etiam Nissen concedit, etsi fidem Taciti quam maxime in suspicionem ducere

[95]) Quae in hoc loco tractando Clason «Tac. u. Suet.» p. 64 affert (colligi posse e forma «prodiderit» Tacitum Corbulonis opere non ipsum usum esse) nullius momenti sunt; satis enim constat (cf. Heraeus ad Tac. hist. III 75) «prodiderit» idem valere atque «prodidit.«

conatur; dicit enim (p. 528): »Darnach darf man mit unumstösslicher Sicherheit schliessen, dass die namentlich citirten Schriftsteller ihm auch wirklich vorlagen: eine Annahme, die überhaupt bei allen kritischen Untersuchungen als die einfachste und richtige vorausgesetzt werden sollte, solange nicht positive Gründe dagegen vorgebracht worden sind.« Atque ex hac ipsa re concludi posse existimo perversam esse eorum opinionem, qui Tacitum unum semper auctorem temere secutum esse putant. Neque illud neglegendum est non modo complurium scriptorum nomina eum afferre, sed aperte profiteri se etiam alios eosque meliores fontes adhibuisse, ut acta diurna (ann. III 3), commentarios senatus (ann. XV 74), Tiberii orationes (ann. I 81). Neque ulla caussa est, cur putemus Tacitum iis tantum locis, quibus complures testes una nominatim affert, ut ann. XIII 20; XIV 2; hist. III 28, etiam adhibuisse complures, alias unum semper secutum esse. Ac ne illud quidem existimandum est eos locos, quibus talem fontem commemorat, qualem primarium adhibere nequaquam poterat, ut Agrippinae commentarios (ann. IV 53), solos esse, ubi ejusmodi fonte usus sit. Quam ob rem recte judicasse mihi videor vel ex iis locis, quibus Tacitus fontes suos nominatim affert, intellegi eum non unum fere semper fontem secutum esse.

Permulti praeterea loci sunt, quibus Tacitus nominibus neglectis hoc solum dicit, se compluribus fontibus usum esse, ut in primis duobus historiarum libris I 41: »— varie prodidere; alii — plures —«; ibid.: »de percussore non satis constat: quidam — alii —; crebrior fama tradidit«; II 3: »— vetus memoria, quidam — perhibent; fama recentior tradit«; II 8: »sive, ut alii tradidere«; II 37: »invenio apud quosdam auctores«; II 101: »scriptores temporum — tradidere: nobis — videntur.« [96]) Negat autem Nissen (pp. 525 sqq.) Tacitum

[96]) Similes loci inveniuntur in historiis: III 22. 29. 51. 54. 59; IV 81. 83. 84; V 2. 3. 4. 5. 6; in annalibus: I 13. 29. 53. 80. 81; II 17. 29. 88;

his omnibus locis ipsum complures adhibuisse fontes, sed saepe ea tantum repetivisse, quae in ipso primario fonte reperisset. Ac si quaerimus, quibus caussis ille commotus sit, ut hoc contenderet, unam invenimus; dicit enim (p. 526) ea re probari opinionem suam, quod interdum Plutarchus quoque iisdem locis atque Tacitus ad complures fontes provocet, ut Tac. hist. I 41: »de percussore non satis constat: quidam Terentium evocatum, alii Lecanium; crebrior fama tradidit Camurium quintae decumae legionis militem inpresso gladio jugulum ejus hausisse« — Plut. G. 27: „ἀπέσφαξε δὲ αὐτόν, ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσι, Καμούριός τις ἐκ τοῦ πεντεκαιδεκάτου τάγματος. Ἔνιοι δὲ Τερέντιον, οἱ δὲ Λεκάνιον ἱστοροῦσιν." Quod argumentum, quoniam Plutarchum ipsis Taciti historiis usum esse contendimus, nullius nobis momenti esse nemo non intellegit. Iis vero, quae Nissen (pp. 500 sq.) affert, ut demonstret (quod etiam nos concedimus) perversam esse eorum opinionem, qui existimant Tacitum more nostrorum rerum scriptorum archivalia, ut ita dicam, studia ad conscribenda opera contulisse, demonstrari non potest eum tales locos, ut »scriptores in eo dissentiunt« vel »invenio apud quosdam auctores« e fonte illo, quem fingunt, simpliciter transcripsisse. Aliud enim est archivalibus se dare studiis, aliud complures inter se comparare fontes. Atque hoc quidem illius temporis scriptores facere solitos esse apparere videtur vel ex loco illo Plin. ep. V 8. 10: »tu tamen jam nunc cogita, quae potissimum tempora adgrediamur. Vetera et scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio.« —

Accedit aliud idque gravius. Putandum enim est Nissenio, si in sententia sua perseverat, scriptorem illum, a quo Tacitum et Plutarchum locos illos, de quibus loquimur, repetivisse arbitratur, ipsum complures adhibuisse fontes [97]), nisi forte

---

III 3. 65; IV 10. 57. 65; V 9; XI 4. 27. 37; XII 26. 52. 67. 69; XIII 17; XIV 2. 9; XV 38. 45. 53. 54; XVI 3. 6.

[97]) cf. Nissen l. l. p. 527: »Wir fanden, dass dieselbe« (significat com-

existimat eum quoque uno tantum usum esse solamque hanc ob rem, ut majorem diligentiam simularet, finxisse se complures inter se comparasse fontes. Quae cum ita sint, num putas minus verisimile esse ipsum Tacitum, quippe qui tantam etiam apud aequales consequeretur gloriam, complures fontes pariter adhibuisse omnibusque illis locis, quibus hoc dicit, verum locutum esse, quam illum rerum scriptorem hoc fecisse, quo primario auctore Tacitum et Plutarchum usos esse viri docti contendunt?

Jam vero alia afferam, quibus demonstrari videtur magnam in componenda opera Tacitum contulisse diligentiam. Sunt enim loci, quibus ea proferat, quae ipse audiverat ab aliis, ut ann. III 16: »audire me memini ex senioribus«; ann. XIV 2 »quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere et fama huc inclinat«; ann. XV 73: »fatentur, qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt«. — Sunt alii loci, quibus quaesivisse se quiddam dicat, ut ann. IV 53: »id ego a scriptoribus annalium non traditum repperi in commentariis Agrippinae«; ann. VI 7: »originem non repperi.« Exstant alii loci, quibus suum ipsius judicium et opinionem Tacitus profiteatur vel aliorum sententiis opponat, ut ann. IV 11: »mihi tradendi arguendique rumoris caussa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant«; ann. IV 57: »Caussam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Sejani artes rettuli, — plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit«; hist. II 37 (qui

---

munem fontem) auf der sorgfältigsten Abwägung verschiedener Berichte beruhte, und dass Tacitus nicht selten auf solche Genauigkeit Verzicht leistete«, cui loco ipse videtur obloqui p. 534: »Daraus folgt, dass das Gesetz der Quellenbenutzung auf Tacitus ebenso zutrifft, wie auf die übrigen Geschichtsschreiber des Alterthums — eine Thatsache, die zwar den alten Marotten der Philologen wenig zusagen mag« e. q. s.

locus hanc ob rem summi videtur momenti esse, quod est in his ipsis, de quibus loquimur, historiarum libris): »invenio apud quosdam auctores — e g o neque — reor — neque«; hist. II 101 »scriptores — tradidere: nobis — videntur.« Neque illi loci neglegendi sunt, quibus ea re Tacitus diligentiam suam declarat, quod profitetur certi quidquam se tradere non posse; nam hoc ex mea quidem sententia non fecisset, si is fuisset, quem Nissen et ceteri eum putant. Quibus ex locis nonnullos afferre licebit. Dicit igitur ann. I 81: »de comitiis consularibus — v i x q u i c q a m f i r m a r e ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius« (Tiberii) »orationibus reperiuntur«; ann. V 10: »neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus«; hist. III 22: »ordinem agminis — asseverare non ausim, quamquam alii tradiderint«, quo ex loco, quoniam ne in ordine quidem agminis describendo leviter versatur, optime Taciti diligentia cognosci posse videtur. Neque neglegendus est locus ann. XIII 20: »nos consensum auctorum secuturi, si qui diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.« — Ex his igitur ac talibus locis, quoniam nequaquam putandum est etiam eos omnes ex ipso fonte Tacitum hausisse, apparere contendo rejiciendam esse eorum opinionem, qui existimant eum unum fere semper secutum esse fontem et ad verbum saepe transcripsisse. Qua in re propterea tam longus fui, quod in ea gravissimum argumentum positum esse puto. Atque e duobus quoque Plinii epistolis Tacito inscriptis — VI 16 (et 20); VII 33 —, quanta in hoc fuerit diligentia, apparet. Ex alterius enim initio [98]) intellegitur petivisse Tacitum ab amico Plinio, ut avunculi exitum, »quo verius tradere posteris« posset, sibi describeret [99]), in altera hunc invenimus locum satis gravem: »demonstro itaque, quamquam diligentiam

[98]) »Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis.«

[99]) cf. Hirzel l. l. p. 39. Clason »Tac. u. Suet.« p. 95.

tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis.« Atque quam levis sit Nissenii ceterorumque opinio illa, vel inde videtur apparere, quod ne Nissen quidem, etsi acerrime eam defendit, negare audet Tacitum, si non in primis, at in sequentibus libris conscribendis a solito fonte haud raro deflexisse. Dicit enim (p. 543): »Fassen wir Alles zusammen, ſo erhellt, dass auch in der zweiten Abtheilung des vierten und fünften Buchs« (dicit, ut ex p. 540 apparet, eam horum librorum partem, ubi de rebus orientis agitur, i. e. hist. IV. 81—84; V. 1—13) »die zu Plinius gemachten Zusätze wenig erheblich und umfangreich ſind[100]). Von der dritten Abtheilung« (eam dicit, ubi Tacitus de rebus in ipsa Roma gestis loquitur, i. e. hist. IV. 1—11, 38—53, 80, 85 sq.) »sind wir von vornherein geneigt, das Gegentheil zuzugeſtehen. Denn wenn Tacitus z. B. auf die Lebensgeſchichte des Helvidius Priscus eingeht IV. 5 »»res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque ejus et qualia fortuna sit usus, paucis repetam««, ſo ſtand ihm natürlicher Weise anderes Material in Fülle zur Verfügung. Dasselbe gilt von den ausführlich berichteten Senatsverhandlungen überhaupt.« Denique ne illud quidem, ut plane perspiciatur Taciti diligentia, omittendum est, quod jam Clason[101]) attulit. Dicit enim illum non ad verbum fontem unum secutum esse vel inde colligendum esse, quod uno loco apertissime demonstrari possit contrarium eum fecisse. Quam enim orationem de jure honorum Gallorum a Claudio imperatore habitam ann. XI. 24 invenimus, magnam partem servatam habemus duobus tabulis aeneis, quae anno 1524 Lugduni repertae sunt. Nam si hanc cum ea orationis forma, quam Tacitus exhibet, comparamus, summam

[100]) Aliis fontibus atque Plinii historiis usum esse Tacitum concedit hist. IV. 81. 83 sq. V. 6 sq.

[101]) »Plut. u. Tac.« p. 21. cf. »Tac. u. Suet.« pp. 116 sqq.

deprehendimus dissimillitudinem si non rerum, at verborum totiusque naturae. Tacitus enim Claudii orationem, quippe quae a sua scribendi ratione prorsus abhorreret, ita commutavit, ut totius sui operis tenori accomodaret. Unde recte Clason mihi videtur colligere putandum esse eum, cum vel in oratione enarranda, quam si pro verbo tradidisset, nemo miratus esset, tantopere ab imperatoris verbis deflecteret, in ipso narrationis cursu multo minus ipsa auctoris verba repetivisse. Quod argumentum haud parvi mihi videtur ponderis esse; nisi forte quis putat eum scriptorem, quem Tacitus sequeretur, orationem illam Claudii jam ipsum in eam formam redegisse, quam nunc apud Tacitum invenimus; quae opinio vel hanc ob rem mihi falsa videtur esse, quod, ut jam diximus, oratio illa satis longa cum Taciti dicendi genere consentit. Et quoniam haec oratio Romae in senatu habita[102]) si non in acta diurna, quod tamen credi potest, at certe in commentarios senatus inserta erat, quos Tacitus ann. XV. 74 fontem laudat[103]), verisimile est eum germanam Claudii orationem cognitam habuisse ipsumque immutasse. — Haec habui, quae proferrem, ut demonstrarem putari nullo modo posse eum virum, qui tam saepe vel nominatim vel neglectis nominibus complures rerum scriptores testes afferret, qui acta diurna, commentarios senatus, Tiberii orationes se adhibuisse profiteretur, qui suam ipsius sententiam aperte haud raro pronuntiaret diceretque tam saepe se non audere certi quidquam proferre, in historiarum duobus primis libris unum fere semper secutum esse auctorem. Quam ob rem ad eam adducimur sententiam, ut existimemus Plutarchum ipsius Taciti historiis usum esse. —

---

[102]) cf. ann. XI. 24 : »princeps — vocato senatu ita exorsus est.«

[103]) De Taciti commentariorum senatus usu cf. imprimis R. Weidemann »Die Quellen der ersten sechs Bücher von Tacitus' Annalen.« Cleve 1869; Nipperdey l. l. pp. 23 sq. Clason »Tac. u. Suet.« pp. 105 sqq.

Jam vero progrediamur ad aliam caussam afferendam, de qua jam Clason [104]) et Nipperdey nonnulla protulerunt. Nam ex ipsa Taciti scribendi ratione, e qua severitas ejus et gravitas tantopere eluceant, colligendum est eum non unum fontem ad verbum fere semper secutum esse. Neque enim quisquam putare potest eum etiam hoc dicendi genus, quod Taciteum nominare solemus, a fonte suo repetivisse. Quod si fecisset, quomodo putas fieri potuisse, ut, cum non eodem ad omnes historiarum et annalium libros scribendos uti potuerit fonte, tamen eadem in omnibus illis esset Taciti scribendi ratio utque ne minimum quidem inveniretur signum, quo demonstraretur hoc illove loco alterum fontem sequi eum destitisse, alterum adhibere incepisse. Quae cum ita sint, ne Mommsen quidem (pp. 315 sq.) negare audet permulta ipsi Tacito tribuenda esse, et Nissen (p. 512) vel haec dicit: »Wer aber die Darſtellungsart im Zuſammenhang mit Tacitus geprüft hat, wird Letzterem das Zeugniss völliger Originalität und vollendeter Meisterschaft nicht vorenthalten.« Quae quamquam libentissime concedo, tamen profiteor me non intellegere, quo jure ii talia dicant, qui Tacitum in scribendis primis historiarum libris tam accurate fontem suum secutum esse contendunt, ut inde proficisceretur summa illa similitudo eorum atque Plutarchi vitarum. Accedit, quod ipse Nissen dicit (p. 500) veteres scriptores ab auctoribus materiem solam petere, formam facillime commutare solitos esse. Quod sine dubio verum est; nam veterum historiae scribendae rationem propinqua cognatione attingere artem rhetoricam satis notum est; aliter enim fontibus uti solebant illius temporis, aliter medii aevi scriptores, quos, quod illi non fecerant, fecisse satis constat: nam ipsa horum, qui ante eos scripserant, verba in suis operibus repetebant. Cum autem ceteri veteres scriptores formam facillime mutarent,

[104]) »Plut. u. Tac.« pp. 20 sq. »Tac. u. Suet.« pp. 122 sq.

[105]) l. l. p. 28 ann.

nonne putandum est Tacitum hoc imprimis fecisse? Plutarchum autem tam accurate auctorem suum, quem Tacitum fuisse censemus, secutum esse vel hanc ob rem mirum non videtur esse, quod non simpliciter ejus historias transcripsit, sed in suam linguam convertit. Quibus rebus expositis confirmari videtur sententia illa nostra, caussam consensus inter Tacitum et Plutarchum exstantis non a communis fontis usu esse petendam.

Accedit alia caussa, quam breviter jam Nipperdey (l. l. p. 28. ann.) affert. Dicit enim: »Wie kann es glaublich erscheinen, dass Tacitus ein allbekanntes Werk aus der nächsten Zeit in dieser Weise abgeschrieben hätte und doch seinen Zeitgenossen als ein so bedeutender Schriftsteller erschienen wäre, wie es geschehen ist?« Quod argumentum adhuc non tanti habitum esse videtur, quanti debet. Ac si quis sententiam contrariam probare velit exemplo Livii, quem Polybium accuratissime secutum esse satis constat, illi, ut alia omittam, respondendum est Livium Graecum opus in suam linguam transtulisse, non Latinum simpliciter descripsisse. Atque jam supra demonstravimus vel ex nonnullis Plinii epistolis Tacito inscriptis colligi posse hunc avunculi illius historiis non ita, ut nonnulli putant, usum esse. Et etiam hoc ex epistolis iisdem videtur apparere, Plinium omnino non eum putasse Tacitum, qui vel alium scriptorem fere solum accuratissime sequeretur. Cum autem Plinius Tacitum talem non putaverit, nobis multo minus hoc faciendum videtur.

Jam vero, ut etiam magis sententiam meam comprobem, duos locos, alterum Taciti, alterum Plutarchi, afferam, qui non neglegendi videntur esse. Inveniuntur enim apud Tacitum hist. I 4 haec verba: »Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussaeque

noscantur.« Quae verba quin ipsi Tacito, non fonti illi primario tribuenda sint, dubitari non potest. Sunt enim ejus scriptoris, qui ab initio anni 69 demum res enarraturus est; quod Plinium et Cluvium Rufum non fecisse scimus, alios scriptores fecisse nequaquam verisimile est. Cui loco compares velim, quae Plutarchus G. 2 tradit: „Τὰ μὲν οὖν καθ' ἕκαστα τῶν γενομένων ἀπαγγέλλειν ἀκριβῶς τῆς πραγματικῆς ἱστορίας ἐστίν, ὅσα δὲ ἄξια λόγου τοῖς τῶν Καισάρων ἔργοις καὶ πάθεσι συμπέπτωκεν, οὐδὲ ἐμοὶ προσήκει παρελθεῖν." Quae Taciti verbis allatis consulto opponere Plutarchus videtur. Dicit enim ille se de statu quoque urbis, de mente exercituum, de habitu provinciarum nonnulla traditurum — contra hic se haec atque talia illis concessurum, qui pragmatice — ut ita dicam — historiam enarrent, sese ea tantum relaturum, quae ipsis acciderint imperatoribus. Qua re ad eam adducimur sententiam, ut putemus hunc certe Taciti historiarum locum non ignotum fuisse Plutarcho. Quod hac quoque re probari videtur, quod Plutarchus, etsi in Galbae capitibus 1—18 maxime a Taciti historiarum primo libro differt, tamen in ipso illo capite secundo eadem de Nymphidio Sabino et de donativo sub nomine Galbae militibus promisso, non dato, refert, quae apud Tacitum statim post verba allata sequuntur. Putandum autem esse Plutarchum, si hoc loco Taciti historias adhibuit, in totis Galbae et Othonis vitis hoc usum esse fonte per se apparet.

Graviorem afferamus caussam. Dicit enim Clason [106]) summi momenti vel illud esse, quod in Pisonis adoptione enarranda demum et Tacitus (hist. I 14) et Plutarchus (G. 23) ipsum narrationis cursum incipiant, cum ille antea de Romae urbis provinciarumque rebus nonnulla tradiderit, hic primis 22 — rectius diceret 18 — capitibus de Galbae vita dispersa (utitur verbo »mosaikartig«) attulerit. Neque illud negle- gendum esse, quod Plutarchus primis illis 22 capitibus totam

[106]) »Plut. u. Tac.« p. 15.

Galbae vitam totumque imperium complectatur exceptis quatuor ultimis diebus, quibus solis septem largiatur capita. Existimandum enim esse Plutarchum hanc ob rem tam breviter pristinam imperatoris vitam complexum esse, quod hic Tacitum sequi non posset. — Quae quamquam non prorsus recta sunt, tamen ne abjicienda quidem prorsus mihi videntur. Atque ea quidem res, quod solis quatuor ultimis diebus Plutarchus septem dat capita, idonea mihi minime videtur esse, ex qua id, quod Clason vult, possit colligi; nam per se intellegitur gravissimas illas dies narrationem poposcisse multo accuratiorem, quam priorem Galbae vitam. Majoris autem ponderis illud alterum mihi videtur, quod Clason dicit Plutarchum primis 22 (vel 18) capitibus de imperatoris illius vita dispersa tantum proferre. Nam cum inde ab adoptione Pisonis enarranda (G. 19) continuam historiam Galbae Othonisque enarret, in priore illa parte modo huc, modo illuc animum lectoris dirigit, ut satis appareat Plutarchum hic non eum scriptorem adhibuisse, qui ita, ut Tacitus, res descripserat. Velut ea, quae Romae facta erant, enarrat capp. 2. 7. 11; de Verginio tradit capp. 6. 10; de Nymphidii Sabini consiliis 8. 9. 13. 14; de Vindice 4. 6; neque illud praetermittendum est, quod Vinii mores et pristinam vitam, quamquam illum jam 4. 7. 10. 11 commemorat, tamen cap. 12. demum describit [107]). Atque illud quoque offendit, quod verba illa supra allata (c. 2 extr.: „τὰ μὲν οὖν καθ' ἕκαστα“ e. q. s.) eo loco inveniuntur, ad quem minime quadrant. Accedit, quod, ut Wiedemann (l. l. p. 55) dicit, »Plutarchus refert de seditione Germanici exercitus duobus locis (G. 18. 22), de populo Tigellini supplicium deposcente duobus locis (G. 17 [108]), de morte Turpiliani duobus locis (G. 15 et 17).« Et licet recte Peter dicat (l. l. p. 43) posterioribus locis non simpliciter repeti

---

[107]) Tacitus idem facit hist. I 48, postquam ejus mortem retulit.

[108]) errat Wiedemann, cum dicit »18.«

priores, tamen iis probatur non eodem ac postea auctore Plutarchum hic usum esse; nam si hoc fecisset, locos illos conjunxisset. — Quae cum ita sint, dubitare vix possumus, quin posterior ille auctor Tacitus fuerit. Nam si fuisset alius, Plutarchus in priore quoque parte eum adhibuisset. Nihil autem impedit, quominus eam rem, quod haud ita raro [109]) etiam inter prima illa Galbae vitae capita et Taciti historias summa similitudo intercedit, ita explicemus, ut putemus Plutarchum, etsi in universum alio fonte vel aliis fontibus hic utendum ei erat, tamen ea quoque, quae ejusmodi apud Tacitum invenit, ut ad haec quadrarent, quae primis illis capitibus traditurus erat, in opus suum inseruisse; ut, quae de Tito Vinio Tacitus hist. I 48 refert, apud Plutarchum G. 12 ad verbum fere expressa exstant.

Atque haec quidem hactenus; jam eam proferamus caussam, quam, etiamsi haud ignoramus nullius esse momenti, nisi antea concessum sit re vera Plutarchum post Tacitum vitas Galbae et Othonis descripsisse, tamen, quoniam demonstravimus hoc verisimile esse, silentio praeterire nolumus. Nam si recta est illa opinio, vel hanc ob rem consentaneum videtur Plutarchum ipso Tacito, non alio auctore usum esse, quod hic ceteros omnes gloria praecedebat, ut maxime idoneum Plutarcho se praeberet. At non is erat Plutarchus, qui optimos tantum scriptores fontes adhiberet. Concedo; neque nego eum si quo Graeco auctore uti potuisset, hoc facturum fuisse; cum autem hoc non posset, nonne putas eum talem Romanum scriptorem adhibuisse, qui gloria ceteris anteiret cujusque scripta hanc ipsam ob rem celerrime in provincias ferrentur?

Reliquum est, ut coner demonstrare nonnullis quoque erroribus Plutarchi — haud enim raro erravit — meam com-

[109]) loci huc spectantes collecti sunt a Mommsenio l. l. pp. 299—301; qui tamen eos quoque locos affert, ubi similitudo inter Tacitum et Plutarchum non major videtur esse, quam ut etiam nos concedere possimus eam ex ejusdem fontis usu profectam esse.

probari sententiam. Facillime enim, si ipsum Tacitum auctorem fuisse ejus putamus, explicari potest, qua re singulis, quos afferam, locis in errorem Plutarchus adductus sit. — Ac primum quidem in enarranda Pisonis adoptione Tacitus (hist. I 18) haec dicit: (Galba) »apud frequentem militum contionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem exemplo divi Augusti et more militari, quo vir virum l e g e r e t, p r o n u n t i a t«, et Plutarchus (G. 23) haec: „ἀρξαμένου δὲ“ (τοῦ Γάλβα) „τὰ μὲν λ έ γ ε ι ν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, τά δὲ ἀ ν α γ ι ν ώ σ κ ε ι ν“ e. q. s. Quo loco, ut Mommsen [110]) recte judicat, Plutarchi verba „λέγειν“ et „ἀναγινώσκειν“ — monet enim Mommsen legere aliquid prorsus alienum esse a ritu adoptandi — profecta esse videntur per errorem Plutarchi a Latinis verbis »pronuntiat« et »legeret«. —

Atque jam supra demonstravimus errare Plutarchum (G. 26) in ea re, quod non Pisonem, ut Tacitus (hist. I 43) tradit, sed ipsum Galbam defensum esse a Sempronio Denso refert. Qui error unde manaverit, haud difficile ita explicatur, ut Tacitum fontem Plutarchi fuisse putemus. Ille enim summa brevitate ex consuetudine usus omnino non aperte dicit P i s o n e m a Denso protectum esse, quod conjiciendum tantum est ex verbis »a Galba custodiae P i s o n i s additus« et »P i s o n i effugium dedit.« Quam ob rem Plutarchus, cum non satis perspiceret hunc locum, verbis illis »a G a l b a custodiae Pisonis additus« inductus videtur esse ad perversam suam opinionem. Hunc autem errorem ex communi quodam fonte profectum esse hanc ipsam ob rem nequaquam verisimile est, quod vix putari potest etiam illius fontis auctorem eadem brevitate et obscuritate ad errores adducente usum esse atque Tacitum.

Neque aliter judicandum est de alio loco. Narrat enim Tacitus (hist. I 80), cum Otho jussisset »septumam decumam

---

[110]) l. l. p. 306 ann. 4.

cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri«, ortam esse in ipsa Roma gravem seditionem. [111]) Haec autem narratio facillime ita accipi potest, ut putemus Ostiae, non Romae, seditionem exarsisse. Quod quoniam etiam Orelli [112]) contendit, mirum nequaquam est Plutarchum quoque, quippe qui linguam Latinam multo minus cognitam haberet, Taciti verba falso interpretatum esse. Narrat enim O. 3 Ostiae seditionem illam ortam esse militesque seditiosos inde Romam profectos esse. [113]) Ac ne hoc quidem loco verisimile videtur in communi illo fonte eandem fuisse obscuritatem atque in Taciti loco laudato.

Quod idem cadere videtur in locum illum jam supra allatum Tac. hist. II 34 sq. comparatum cum Plut. O. 10. Nam hic quoque Plutarchus Taciti verbis non satis perspicuis in errorem adductus esse neque perspexisse videtur, quos gladiatores dicat Tacitus, quos Germanos, quos milites. Cum autem hic hist. II 43 eosdem, quos loco modo commemorato Germanos nominaverat, Batavos appellaret, effecit, ut iterum Plutarchus erraret. Quem, quod ea, quae Tacitus de proelio illorum cum gladiatoribus ad Padum commisso breviter hic

---

[111]) Romae et quidem in castris praetoriis, non Ostiae, ortam esse seditionem fere omnes nunc concedunt; cf. Heraeus in annotatione ad hunc locum facta: »gemeint ist die Meuterei der Praetorianer«; Halm in breviario libri I historiarum: »80—82 seditio gravis in ipsa urbe temere orta e. q. s.; Wiedemann l. l. p. 39 »nam facile intellegitur condicionibus, quibus actum sit, recte perspectis non Ostiae milites seditionem concitavisse«; H. Peter l. l. p. 40; C. Peter »Geschichte Roms« III, 2.p. 20 ann. — Quos recte judicare ex ipsa Taciti narratione diligentius explorata et ex Suet. O. 8 apparet. Neque valent ad infirmandam hanc sententiam haec Taciti verba (l. l. extr.) »urbem ac Palatium petunt«. Neque enim intellego, cur Tacitus dicere non potuerit milites seditiosos e castris praetoriis in ipsa urbe non sitis urbem petivisse et Palatium.

[112]) in editionis suae annotationibus ad l. l. factis.

[113]) Hoc enim, quamquam ne Plutarchus quidem aperte dicit, Romae concitatam esse seditionem, tamen apparet ex tota narratione; cf. verba: „οὐδὲν ὑγιὲς τὸν Κρισπῖνον ἥκειν διανοούμενον“ e. q. s. —

repetiverat, non satis intellegeret, novum ipsum sibi finxisse proelium jam supra demonstravimus. —

Has habui caussas, quibus demonstrari putarem communem illum fontem videri somnium virorum doctorum, Plutarchum autem in Galbae et Othonis vitis componendis auctorem secutum esse Tacitum. —

Rudolfus Lange de vita sua.

Natus sum anno h. s. LVIII Cal. Maj. Altenburgi Saxonum tre Eduardo, qui a consiliis rei scholasticae erat munereque :toris scholarum civium Altenburgensium fungebatur, matre ıtonia e gente Besser, quos parentes carissimos jam pridem ɔrte mihi ereptos esse valde doleo. Fidei addictus sum angelicae. Litterarum elementis in schola prima civium intutus annum undecimum agens vere a. h. s. LXIX in patriae bis gymnasium receptus sum, quod per octo annos frequentavi :ectoribus usus primum Eduardo Fossio, tum Ernesto Alberto chtero, quibus aeque ac ceteris praeceptoribus semper gratias bebo magnas. Vere a. h. s. LXXVII maturitatis testimonium eptus, ut historiae et antiquitatis studiis me darem, primum ıam me contuli, ubi per unum semestre frequentavi scholas ɔrum doctissimorum Delbrück, Eucken, Gaedechens, A. Schmidt, Schmidt, Sievers. Tum autumno ejusdem anni Lipsiam ısmigravi, ubi per unum semestre audivi scholas virorum strissimorum G. Curtius, Lange, Lipsius, Overbeck. Postea ; a. h. s. LXXVIII Monachium profectus sum, ubi primum duo semestria usque ad ver a. h. s. LXXIX, tum, postquam estri aestivo ejus anni Gryphiswaldiae studia continuavi, unum semestre libentissime interfui vel hoc semestri rsum scholis virorum doctissimorum Brunn,Bursian, Carriere, Christ, Cornelius, de Giesebrecht, de Halm, Julius, ıcker, de Prantl, Riehl, Stieve. Gryphiswaldiae autem

frequentavi scholas virorum illustrissimorum Hirsch, Kiessling, Lütjohann, Ulmann, de Wilamowitz-Moellendorff. — Per unum semestre fui sodalis ordinarius proseminarii philologi et seminarii historici Gryphiswaldensis, per tria semestria seminarii historici Monacensis; praeterea Bursian et Simonsfeld permiserunt, ut interessem exercitationibus epigraphicis et historicis. Quibus viris omnibus gratias ago maximas. —

Lt 1.849
De Tacito Plutarchi auctore ...
Widener Library 005690245
3 2044 085 236 008